BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M 15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27

2-3-50
12
b

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS
S. J.
DE
ELOQUENTIA PATRUM
LIBRI XIII.
IN IX. VOLUMINA TRIBUTI.

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH

BREMGARTENSIS HELVETII

THEOLOGIÆ DOCTORIS *S. J.*

DE

ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.


IN USUM

ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN I.

Præter Conſpectum & Oeconomiam totius Operis

LIBRUM I. complectens.



SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM

SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.

Digitized by Google

[illegible]

CELSISSIMIS

AC

REVERENDISSIMIS

S. R. I. PRINCIPIBUS:

REVERENDISSIMIS, AMPLISSIMISQUE

ABBATIBUS

CONGREGATIONIS

BENEDICTINO-HELVETICÆ,

D. D. BEDÆ, SANGALLENSI,
D. D. MARIANO, EINSIDLENSI,
D. D. BENEDICTO, FABARIENSI,
D. D. COLUMBANO, DISERTINENSI,
D. D. BONAVENTURÆ, MURENSI,
D. D. JANUARIO, RHENOVIENSI,
D. D. NICOLAO, FISCHINGENSI,
D. D. LEODEGARIO, ENGELBERGENSI,
D. D. HIERONYMO, BEINWILENSI,

ATQUE ETIAM

UNIVERSIS ET SINGULIS

EJUSDEM ALMÆ CONGREGATIONIS

ASCETIS

DOMINIS AC PATRONIS SUIS

HONORE SUMMO ET VENERATIONE MAXIMA

PROSEQUENDIS

JOSEPHUS WEISSENBACH *S. J.*

FELICITATEM.

Digitized by Google

Opus iſtud DE ELOQUENTIA PATRUM *compluribus ex titulis potiſſimum ad VOS pertinere, vel tacentibus nobis & Inſtitutum, & Hiſtoria, & Argumentum illius per ſe ipſa loquuntur. Repente enim avulſum a literis, librisque omnibus, etiam neceſſariis, deſtitutum e tempeſtate media velut in portum aliquem me recepiſtis; ubi quidem tam benevole, tamque amanter ſum habitus, ac ſupellectili literaria tam copioſe inſtructus, ut domeſtica in Bibliotheca verſari, atque in ſinu fratrum meorum me conquieſcere ſæpe ſæpius exiſtimarem. Per*

VOS ergo ſtetit, ut libros ultimos, qui jam jamque finem ſpectabant, abſolvere paulatim, limare dein, conferreque cum optimis Editionibus liceret. Quod ſi mihi fortuna negaſſet, aut nunquam fortaſſis, aut multo poſt tempore, nec niſi graviſſimis ſuperatis difficultatibus lucem illi publicam aſpexiſſent. Atque iſtud tam luculentum ac ſingulare eſt beneficium, ut ab ejus jucundiſſimo ſenſu necdum me collegerim: & neſciam plane, utrum in communi calamitate noſtra evenire mihi hodieque aliquid majus atque exoptatius potuiſſet. Quam autem commodum, & tempeſtivum Scriptori, tam minime mirum id debet Lectoribus videri. Eſt enim illa hæreditaria laus alum-

norum

norum divi Benedicti, *uti curas, opes, & ſtudia omnia conferant ad gloriam ſanctorum* Patrum *noſtrorum illuſtrandam. Id quod gratus agnoſcit, & verbis ampliſſimis prædicat orbis literarius univerſus. Certe vel ab ipſis Acatholicis gratiam hac in parte immortalem iniverunt; qui quantum publico bono illi præſtiterint, apertiſſime profitentur; uti ex* Cavei, Oudini, Olearii, Ittigi, Clerici, Fabricii, *atque aliorum innumeris teſtimoniis facillimum hîc fuerit demonſtrare. Aut quis obſecro per dena & amplius ſæcula Antiquitatis reliquias undique collegit, collectas deſcripſit in membranis, deſcriptas ab injuriis temporum & hominum vindicavit?* Benedictinorum

præcipue ſumptibus, labore, vigilantia pretioſi hi codices non tineas ſolum, ſed incendia & hoſtiles gladios evaſerunt. Non ergo aberraverit a vero, qui confidenter affirmet: Si antiquiſſimum iſtud Inſtitutum neque tot Scriptores, *&* Sanctos *tuliſſet, neque tot regnis* Chriſti fidem *intuliſſet, ſola gloria conſervatæ* Traditionis *præclare omnino atque immortaliter de Eccleſia tota Catholica promeritum fuiſſet.*

Atque hos inter locus non ultimus celeberrimæ VESTRÆ Congregationi debetur. Quantus enim apud VOS Manuſcriptorum theſaurus olim delituerit, omnes ſciunt, quotquot literas non neſciunt. Ut alia mittamus, Abbatia Sangallenſis *tam*

varia,

varia, tamque multa ejus generis collegerat, ut ſint, qui vel iſta de cauſa celebratum Conſtantiæ Concilium *ſextum decimum velint, ut, quoniam prælum necdum inventum erat, ob viciniam ejus cœnobii congregatis Patribus neceſſarii codices in promptu eſſent. Et vero ingentia plauſtra, pergamenis onuſta, illuc eſſe advecta reperio; quas ſi ſalvas, unde venerant, redire contigiſſet, haberemus nos Helvetii, quod ceteri omnes nobis inviderent: atque ex fodinis illis alias quotidie atque alias opes, literarum emolumento maximo erueremus. Sed nempe maleficium pro beneficio Aſcetæ pientiſſimi retulerunt. Certum eſt enim partim dolo, partim incuria jacturam ra-*

riſſi-

riſſimorum librorum Conſtantiæ factam. Et nonnulli quidem ſive pecuniam ſibi ſive famam paraturi alios diſtraxerunt, alios in celebres Italiæ Bibliothecas aſportarunt. Ut nempe Sanctorum Corpora *prædari pietatis genus antiquis fuit, ita religione nihilo minori Sanctorum* Scripta *direptum ibant. Quaſi vero commendatio ſanctitatis res privatorum communes redderet: & cum vana, inaniaque impune non auferas, furari res ſacras, quæ pretium omne exſuperant, non honeſtum modo verum etiam religioſum eſſet. Vicinus eorum temporum Acatholicus, & Sangallenſis ne dubitavit quidem prædones eos vel nominatim recenſere. Præfatus enim in*

Homi-

Homilias S. Valeriani *Cimelienſis*, *ex ejusdem Aſceterii ſcriniis eductas, aſſeveranter pronuntiat: In eo Concilio optimam & præclariſſimam librorum partem a* Poggio *Romam & Florentiam, ab* Ænea Sylvio *Baſileam vi ac fraudibus diſtractam eſſe. Alius, & ipſe exterus, quam multas ætate noſtra ex Helvetiæ cœnobiis membranas elicuit? Eas certe, quas alibi nusquam ſit reperire, nullo jam labore, ſumptibus nullis recuperandas. Sed diſpendia quædam non ſunt chartis, ſed oblivioni mandanda: neque opus eſt ut recrudeſcat dolor; quando, ſi vel iſtud abeſſet, alia multa ſuppetunt, quæ funeſtam ejus viri memoriam fecerunt. Sane optandum fuit, ut quo magis antiquis*

codi-

codicibus ſtudebat, tanto minus novis erroribus tribuiſſet.

Quod vero ubivis gentium cumularunt Majores, ſervare Poſteri minime contenti, elapſo Sæculo opus ingens ſunt aggreſſi, ut conferrent inter ſe Codices, ſincera a ſpuriis ſecernerent, atque ita accuratas demum & numeris omnibus abſolutas Editiones procurarent. Ut enim Gazæum *cum Belgis,* Pezium *atque* Beſſelium *cum Germanis,* d'Aguirreum *cum Hiſpanis,* Cajetanum, Armelinium, Quirinum *cum Italis in cenſum minime traham: Superi boni! quibus laboribus, quibus impendiis eſt factum, ut ſolis in Galliis præcipui quique Patres nitori priſtino reſtituerentur? Et quis tam*

impe-

imperitus ut neſciat: quis tam invidus ut non commendet, quod iſta in negotio, æque gravi atque implexo, Lucas d'Acherius, Claudius Chantelou, Joannes Garretius, Gabriel Gerberon, Joannes Mabillon, Emericus Bigotius, Theodoricus Ruinart, Thomas Plampin, Petrus Couſtant, Jacobus du Friche, Nicolaus le Nourry, Matthæus Petitdidier, Bernardus de Montfaucon, Renatus Maſſuet, Dionyſius Sanmarthanus, Edmundus Martene, Urſinus Durand, Auguſtinus Toutée, Julianus Garnier, Prudentius Maran, Carolus de la Rue, Bernardus Marechal, Remigius Ceillier, *atque alii quam plurimi, facile triginta, præſtiterunt?*

Et

Et ducebantur certe rationibus ſuis, cur præ aliis etiam florentiſſimis Ordinibus tantopere ſeſe deſcribendis, aſſervandis, emaculandis, explicandis, vertendis, complendis, edendisque Patribus impenderent, totque præſtantium virorum vitam iſti uni operæ totam dicarent. Quid enim decebat magis, quam ut in genere literarum, quod Patres ſpectat, reliquos omnes Benedictini *ſuperarent?* Benedictini *inquam, qui tot Eccleſiæ Patres dederunt, quot Monachi & Religioſi alii non dico ſeorſim, ſed vel ſimul ſumpti computatione ſtrictiſſima poterunt recenſere? Si enim obiter duntaxat iſtarum copiarum volo numerum inire,* S. Leander, S. Gregorius *magnus*, Berengo-

ſus

ſus *Abbas*, S. Ildephonſus, *Venerabilis* Beda, S. Bonifacius, B. Alcuinus, Ambroſius Autbertus, Dungalus *Diaconus*, Theodulphus *Aurelianenſis*, B. Rabanus Maurus, S. Paſchaſius Ratbertus, S. Benedictus *Ananienſis*, *quem* & Euticium *vocant*, Haymo *item*, Lupus Servatus, Angelomus, Walafridus Strabo, Ratramnus, Anaſtaſius *Bibliothecarius*, Chriſtianus Drutmarus, Remigius *Antiſiodorenſis*, Regino, Odo *Cameracenſis*, S. Odo *Cluniacenſis*, S. Odilo, S. Bruno *Signinus*, Durandus *Troarnenſis*, B. Petrus Damiani, Guitmundus *Averſanus*, B. Lanfrancus, Franco *Affliginenſis*, S. Anſelmus *Cantuarienſis*, Hervæus *Dolenſis*, Goffridus *Vindocinenſis*, Algerus, S. Rupertus *Tuitienſis*, Petrus *Venerabilis*,

)( )(Radul-

Radulphus Niger, Irimbertus *Admon-tenſis*, Petrus *Cellenſis*, Engelbertus *Admontenſis*, Eckebertus *Schoenaugienſis*, Potho *Prumienſis*, *præter alios atque alios* Benedictini *omnes fuerunt, quos dignos habent Eruditi,ut cenſeantur inter Patres, ac præ ceteris, etiam ſacris, Scriptoribus ſingulari & ſenatoria quadam in honore habeantur. Hi ſunt Majores Veſtri, ſerie nusquam interrupta, etiam per* ſæcula ferrea *deducti, quorum memoria in benedictione ſemper erit. Hi ſunt gloria, decus & ornamentum præcipuum ſacerrimæ Familiæ. Hi non Veſtri duntaxat Patres, ſed noſtri & fidelium omnium totius mundi. Hi nobis atque una Recentiores, quos dicebam, eruditiſſimi clariſſimique viri,*

ri,

ri, quotiescunque Bibliothecas intramus, primi ſtatim in oculos incurrunt. Et quidem utrosque per annos plures diu noctuque familiares habui: utrosque voluptate magna perlegi, enotavi, allegavi: utrosque nuperrime in Murenſi *Monaſterio velut poſtliminio inviſi, ante omnes alios ſalutavi, atque ad Opus hoc meum perficiendum jam duces, jam conſiliarios, jam magiſtros adhibui. Qua ipſa de cauſa ingratiſſimus forem, legesque humanitatis univerſas infringerem, ſi non extaret alicubi monumentum gratiæ iſtius; & tale quidem, quod ex foro hoc noſtro, atque adeo ex ipſomet beneficio petitum eſſet. Ubicunque ergo meos libros libris Veſtris adjunxero, potius reſtituiſſe propria videbor,*

bor, quam obtuliſſe aliena. Atque ita, ſi quid boni ſit in iis, Veſtris Scriptoribus; ſi quid mali, mihi erit attribuendum. Sed facilitas Veſtra, & notiſſimum ſtudium, quo Literatos omnes complecti ſoletis, quemadmodum pene temerarium me in adeundo fecit, ita deinceps quoque propenſos ac benevolos VOS fore ſignificatione quadam certiſſima mihi pollicetur. Securus ergo de aſſenſu & approbatione Veſtra, dum publicum hoc obſervantiæ in VOS meæ teſtimonium exhibeo, Deum *ſimul* optimum maximum *enixiſſime precor, ut difficillimis hiſce temporibus & ad gloriam ſuam & ad hominum utilitatem ſoſpites VOS quam diutiſſime atque incolumes velit.*

Valete.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

Tria ſunt, de quibus in Operis veſtibulo præfari & mea, & Lectoris quamplurimum intereſt. Primum eſt *Scopus*, quem, dum iſta ſcriberem, præ oculis habui ſemper, & profecto magnopere cuperem attigiſſe. Scilicet Eccleſiaſticis omnibus quidem, iis vero præcipue, qui animarum curam gerunt, hortator adſum, uti omiſſa aliorum lectione, ſæpe inutili, nec raro perniciosa, ad Patres volvendos ſe ſinant revocari. Eſt enimvero indignum videre, ex tanta ſuppellectili, atque apparatu librorum nullos minus teri ætate hac noſtra, quam ipſos illos, quos præ omnibus aliis Magiſtros a Deo, ac Doctores accepimus; & ex quibus quaſi uberrimis fontibus illa omnia fluxerunt, quæ tam liberaliter hodie veluti ſua ſolent nonnulli propinare. Nihil hic exaggero, loquor, quod palam eſt, & in omnium oculos incurrit. Etſi enim non deſunt hodie quamplurimi, qua Aſcetæ, qua Theologi, qui colant Eccleſiæ Scriptores, & ſtudio ſummo complectantur: ſic alios videas, apud quos negliguntur penitus, &

nullo fere numero habentur. Quod Bibliothecæ ipſæ loquuntur, ubi quidem

— — *longo ſtant ordine Patres:*

at deſunt tamen, qui ſalutare procul, vel aperire dignentur. Dum ergo reliqui in omnium manibus verſantur, nullusque eſt tam ineptus auctor, qui lectorem non inveniat: iſti, quaſi ad tenebras damnati eſſent, opplentur pulvere, carie abſumuntur, & blattis in prædam cedunt. *Patres tinearum* dicere poſſis, uti aliquando S. Iſidorus Peluſiota in libros amici jocatus eſt *, quos ille aſſervare, aut aſpicere contentus, rariſſime ſolebat lectitare. Adde, quod non aliæ magis, quam antiquatæ Editiones apud eos proſtant, quæ auctoritatem, ſi quam habebant, fidemque omnem dudum amiſerunt. Præterquam enim, quod mendoſæ ſunt, & membris pluribus mutilatæ, nec verſio reſpondet autographo, & ſuppoſititia nullo diſcrimine genuinis immiſcentur. Arma, veſtes, inſtrumenta, & obſoleta quævis alia abjiciuntur, atque in eorum locum nova, quæ meliora ſint, ſuccedunt. Quid ergo hic moramur pecunias, ubi neceſſitas major, jactura autem longe minor, quam lucrum eſt? Quid quod expenſæ deduci ex aliis poſſunt, iisque dubiis lucubrationibus, quæ nullo pretii, nullo auctoris reſpectu paſſim coëmuntur. Socordia eadem in allegationibus quoque apparet, non falſis ſolum, ſed adeo ineptis ſæpe, atque abſurdis, ut peritioribus

* *Libro I. Epiſt.* 151.

ribus harum rerum, aliis quidem ſtomachum, aliis ſplenem poſſint commovere. Illi ipſi, qui ſua a Patribus habere ſe dicunt, ex pluribus ſæpe locis vix unum, alterumve, quemadmodum oporteret, repræſentant: manifeſto indicio, non ex fontibus, ſed rivulis, imo lacunis hauſiſſe eos, & alienis oculis, quique facilius fallunt, alienis calamis fidem adhibuiſſe. Admirationi ſane forent exempla, quæ non procul habeo: ſed cum ipſa offenſio inde oritura, tum reverentia hominum, & conſcientia tenuitatis meæ facere iſtuc minime permittunt. Nimirum, quia operoſum eſt talibus, omnia per ſe ipſos excutere, iis maxime libris aſſueſcunt, quorum propior ipſis uſus eſt: atque ita Patres nonniſi ex Breviario, & Homiliis illis norunt, quas magnam partem *Scoriam Patrum* nonnemo dixit, nulli ſæpe minus, quam cujus nomen præferunt, tribuendas. Alii Eccleſiaſticorum magni quid putant ſe præſtitiſſe, ſi eos adjecerint, quos indulgentia neſcio quæ Patribus ſociavit, S. Bonaventuram, B. Raymundum Jordanum, Joannem Gerſonem, Joannem Taulerum, S. Laurentium Juſtinianum, Dionyſium Carthuſianum, ejusque generis ſimiles alios: qui quidem cum præſtanti pietate, & doctrina ſint omnes, at Patres non ſunt. Meminiſſe tales oportet, quidquid fere apud hos inveniunt, a Patribus venire, ipſosque adeo auctores eſſe nobis, uti legamus eos primo loco, imo pro illis maxime ſcripſiſſe, qui vel carerent Patribus, vel eorum delectum facere per ſe ipſi nondum didiciſſent. Ego certe, ſi quid

auctoritatis haberem, habeo autem prorſus nihil, poſt eos, qui ubique obtinent, principes Aſcetarum, non alia legi mallem, quam quæ in Tractatu Mabillonii *de Studiis Monaſticis* hanc in rem magno judicio e Patribus ſelecta ſunt. * Illis vero, qui ad conciones ſe parant, & apoſtolicis laboribus præludunt, alios, qui Patres non eſſent, vix non omnes vel invitis emanibus extorquerem. Id quod memorabili exemplo Didacus Torreſius noſter, vir inſignis, fecit. Venditis enim, quibus Bibliotheca abundabat, ævi ejus ſubſidiis, Patres accuratius editos ſubſtituit, atque ita adegit complures, uti hos, non alios jam tererent, ſuosque ad uſus adhiberent. Superi boni! quanto animarum, quanto temporis, quanto pecuniæ ipſius compendio fieret, ſi Bibliothecis hodie Præfecti exemplum iſtuc imitandum ſibi hoc maxime ſæculo exiſtimarent. Eſt ſane, cur Majoribus noſtris invideamus ſortem ſuam. Hi, quando libris novis ferme carebant, felici neceſſitate compulſi ſunt, uti in Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis toti eſſent, hos privatim legerent, hos publice ad menſam audirent: quanta inde clade hæreſum, quanto Eccleſiæ totius emolumento, orbis novit. Ita enim inſtructi, atque ad quævis argumenta comparati, Theologi, Interpretes, Aſcetæ ſummi evaſerunt, & hodiedum in ore,

* Huc etiam pertinet *Bibliotheca Aſcetica veterum Patrum, ad uſum Congregationis S. Mauri*, & alia recentior *Bibliotheca Aſcetica* P. Jérôme, Auguſtiniani.

ore, ac admiratione omnium verſantur. Qui pone eos ſecuti ſunt doctiſſimi homines, decurſis ſpatiis ſtudiorum, totos ſe pariter huc tranſtulerunt: quin longius etiam progreſſi, in hoc velut doctrinæ principatum quemdam conſtituerunt, ſi in conquirendis, emendandis, vertendis Patribus vitæ partem maximam ponerent, ac quamplurimas ejuſmodi ſacræ Antiquitatis reliquias ab interitu vindicarent. Qua re factum eſt, ut doctrina ſacra in ſcholis æque, ac templis novam ſane faciem induerit, quæ brevi alios etiam, aliosque allicere poſſit, & exemplo provocare. Sed & poſteris cura ingens injecta, ne quemadmodum glorioſiſſimum illis fuit tantas opes colligere, ita turpiſſimum ſit nobis, nolle cernere hæreditatem tam opulentam, aut partis ſaltem alicujus poſſeſſionem adire. Neque hic quiſquam negotia cauſetur, aut temporis anguſtias obtendat. Præterquam enim quod inter negotia non ultimum ſibi locum lectio vendicat, experientia habemus, ideo ad legendos Patres otium nonnullis deeſſe, quod vel pagellis publicis, vel quod pejus eſt, Satyris, Comœdiis, Romanenſibus Fabulis id ſolent conſecrare. Sua jam ætate Hieronymus Papæ Damaſo de talibus conqueſtus eſt, crimen duplex in ea re agnoſcens, quod & aliena tractarent, & Scripturæ, quam Patres explicant, tempus ſuffurarentur. *Nunc etiam ſacerdotes Dei,* ait, *omiſſis Evangeliis & Prophetis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere,*

terere Virgilium, & id, quod in pueris neceſſitas eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Ad hos mihi ſermo non eſt, quod fruſtra ſcilicet eſſet futurus. Cum enim ſibi nequam ſint, ceteris boni eſſe haud poſſunt, & quibus non vacat, ut propria curent commoda, quanto minus alienis ſe impendent? Quod ſi quidam ita profana lectitant, ut in iis nimii non ſint, at certe delicias ſuas negotiis ne annumerent, & ſubceſivis horis contenti, neque eodem loco, & tempore, neque ſtudio eodem ad argumenta tam diſparata accedant. *Quæ enim communicatio luci ad tenebras,* ait idem Hieronymus, *qui conſenſus Chriſto cum Belial? quid facit cum Pſalterio Horatius, cum Evangeliis Maro, cum Apoſtolis Cicero? nonne ſcandalizatur frater, ſi te viderit in Idolio recumbentem? Et licet omnia munda mundis, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, tamen ſimul bibere non debemus calicem Chriſti & calicem Dæmoniorum.*** Eſt autem hac in re eo magis Hieronymus audiendus, quod cum & ipſe aliquando nullo diſcrimine profana ſimul, & ſacra verſaret, pœnas per ſomnium graviſſimas dedit; quemadmodum eodem loco fuſe pergit commemorare. Sed neque iſtuc tacendum, quod ad Euſtochium, Paulæ filiam, ita ſcribit, quæ odas ſubin animi cauſa pangere conſueverat. Si enim nobiliſſimæ Virgini, ex quo Deo ſe mancipaſſet, gravate adeo profanos aucto-

* Alii legunt: *tenere. Epiſt.* 146. nunc 21. circa med.
** *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium,* circa med.

auctores permittendos putavit: quanto longius Clericos, & Presbyteros ab ea lectione ſanctus Doctor removebat? Aliis porro libris ſive Veterum, ſive Recentiorum, modo ſacri, & probatæ doctrinæ ſint, tantum abeſt, ut interdicere Eccleſiaſticis ego velim, ut ipſe quoque multis afficiar vehementer, neque dubitem, delectu facto, plurimum inde emolumenti miniſteriis noſtris poſſe obvenire. Per me igitur non ſtat, quo minus eos legant, modo, quod ſemper inculcandum eſt, poſt Patres, ſecundo videlicet, non primo loco id fiat. Hæc de Fine, & Inſtituto Libri.

Alterum, quod memorandum hoc loco venit, eſt *Novitas* Operis. Scripſerunt innumeri de virtutibus, & admiranda ſanctitate horum Virorum, nihilo pauciores aut defenderunt doctrinam eorum, aut maculas, ſi quas habuiſſent, exterſerunt. Multi etiam in corruptores eorum, & interpolatores invecti ſunt *: alii, quanta eorum in aſſerendo auctoritas, & concordia eſſet **, oſtenderunt. Iterum alii e patria illos lingua transtulerunt in exteram; alii ſententias ſive unius, ſive plurium in locos communes diggeſſerunt. Hodiedum de Editionibus illorum diſputant plurimi: eſt, qui juſto volumine opti-

* Jure vel injuria, nihil hic inquiro, & quod invidiam res habet, auctores ne nomino quidem.

** Talis eſt Liber gallicus P. Bernardi Marechal, Benedictini, cui Titulus: *Concordance des SS. Péres de l'Egliſe, Grecs & Latins.* Georgii Bulli, Angli, *Defenſio Fidei Nicænæ* &c.

optimam rationem eosdem legendi oſtendat *: noviſſime alius præcipua eorum Opera in ſynopſin redegit. ** Verum, qui de *Eloquentia* Patrum ſcriberet, nemo unus eſt. Quantumcunque induſtriæ adhiberem, latibula ſcrutarer omnia, & viros etiam eruditiſſimos conſulerem: ſeu noſtrorum, ſeu externorum nullum comperi, qui id argumenti ex inſtituto ſumpſiſſet pertractandum. Sunt aliqui, qui illud attingerent nonnunquam, ſed extremis, quod ajunt, digitis, atque ita non via, & ratione, ſed obiter, ſed breviſſime quaſi in re ſibi quidem ſatis comperta verſati ſunt. Solus Bouhourſius noſter quam tenui, tam nitido opuſculo ſententias quaſdam Patrum Latinorum non, ut alii fecerunt, nullo ordine, atque delectu in cumulum conjecit, ſed expenſa cujusque vi, pondere, & pretio plurimum illuſtravit ***: atque utinam ille non tantas intra anguſtias ampliſſimum argumentum conſtrinxiſſet! Hac ipſa autem inſolentia novitii argumenti difficultas Operis immenſum aucta eſt; quod ſubſidiis deficientibus per ſe odioſa omnis tractatio eſt, erraturque facilius, cum velut in ſolitudine nulla hominum veſtigia extant, qui præceſſiſſent aliquando, & nunc viam

* Bonaventura Argonenſis, Carthuſianus, *de optima Methodo legendi Eccleſiæ Patres*, ex Gallico.

** Dominus Tricalet in *Bibliotheca portatili Patrum*, gallice ſcripta. Eodem fere recidit *Bibliotheca* Photii, & Sculteti *Analyſis in Patres primorum quatuor ſæculorum*.

*** *Penſées ingénieuſes des Péres de l'Egliſe.*

viam ſequentibus commonſtrarent. Quod ſane non eo dictum a me exiſtimare quis debet, ac ſi jactare ex hoc capite opellam iſtam, & inde pretium illi aliquod conficere velim. Viri enim prudentes, maxime ſi & ipſi aliquid de hoc genere ſtudiorum attigerunt, per ſe facile, me etiam tacente. intelligent laboris improbitatem: alii vero neque credent, neque curabunt, centies licet inculcavero. Quo ſane facilius connivendum eſt mihi, & veniam largiorem homo novus impetrabo, ſi aut ceſpito ſubin ſine duce, aut deficio in mola ea verſanda, a qua manum hucusque omnes abſtinuerunt. Certe provocari ſe ſinent aliqui, qui uſu rerum, ætate ipſa, & lectione me multo ſuperiores, ingenio præterea, ac judicio valent, ut in argumento, quod tanta cum dignitate conjunctum eſt, utilitatemque ad omnes maximam habet, felicius ipſi verſentur. Mihi ſufficit valuiſſe exemplum meum, &, cetera poſtremus ſi ſim ex omnibus, tam laudabili in opere ſuſcipiendo primum extitiſſe.

Ultimo loco de *Uſu* & *Commodis* quibusdam horum librorum dicendum eſt. Ordine enim ſcripti ſunt, viamque planam deſcribunt, quam illi maxime, qui præviis cognitionibus carent, ſine offenſione ulla ingrediantur. Priores nempe, qui ad Theoriam toti ſpectant, exſolvunt dubia, & præparant animos ad omnia ea, quæ impeditiora deinceps poſſent occurrere. Reliqui, cum ad Praxin ipſam pertineant, ſpinas ante calcatas floribus conſternunt, eaque adjiciunt ex Patribus, quæ cum Mora-

Moralis, tum Dogmaticæ habeant plurimum, laboris prorſus nihil. Neque enim hæſitare ſino Lectorem, qualis tandem ea Patrum eloquentia ſit, quæ & conveniat cum profana pluribus capitibus, & pluribus iterum ab eadem diſtinguatur. Affirmate pronuntio, quinam illorum æſtimandi ante alios; quæ Opera cujusque præcipua; quomodo legendi, imitandi, adnotandi: qui loci, quæ figuræ, qui affectus nobiliores: qui fontes, unde hauriri alia præterea ad argumentum quodlibet poſſint; idque habito ſemper reſpectu ad Eloquentiam, quam fronti præfixam ex oculis nunquam dimiſi. Quam jucundum vero, quam plenum ſinceriſſimæ voluptatis noſſe propius Optimates illos Eccleſiæ, quorum tam ſublimis ſanctitas, tam ſincerus animus, tanta ad omnes auctoritas eſt, & rerum geſtarum gloria immortalis? quis non geſtiat uti illis familiariter, converſari cum iis inter ambulandum, diſcere virtutes intimas, & ſenſa animi, totamque imaginem proprio ipſorum ſtylo, & quaſi nativis coloribus expreſſam circumferre? * Quæ propria magis occupa-

* Optimus P. Hieronymus Platus *Libro III. de Bono Status religioſi cap.* 11. recte obſervat: *Quod ſi, dum ii adhuc viverent, cum ſingulis congredi, eosque tantos viros audire, magna voluptas fuiſſet; cur non idem etiam exiſtimetur de iis in cœlo viventibus? imo vero multo etiam magis; cum & illis, quæ ſcribuntur, acrius quoddam ſtudium, ac lima adhibeatur, quam iis, quæ viva voce ex tempore profunduntur: & eorum gloria, qua jam fruuntur, majorem ſcriptis ipſis auctoritatem conciliet?*

cupatio Clericorum, ad quam poſt preces, ſacrosque labores recipiant ſeſe, & quæ velut alia agentibus lucem ubique ad Theologiam, ad Hiſtoriam, ad Aſceſin, ad Eccleſiaſticam Diſciplinam affundat: ſed & pro lectione ſpirituali, pro meditatione, pro monitis, conſiliiſque ſerviat, paſſim quidem, ſed præcipue in tribunali pœnitentiæ expromendis? Fieri non poteſt, quin denique adhæreſcat aliquid, & quod hortum, vel officinam pigmentariam frequentantibus accidit, pietatis odore, atque fragrantia, quæ inde exhalant, & ipſe imbuaris, & eandem aliis quoque nec opinantibus paulatim aſpires. Maxime vero ad Conciones iſta lucubratio valet. Id quod quemcunque primo contuitu advertere poteſt. Ad Patrum enim normam Orator hic fingitur, nullaque eſt pars Orationis, nullum dicendi officium, quod non exemplis inde petitis operoſe illuſtretur. Denique in Locis communibus præbetur ipſa materies, exhibentur argumenta, ſylvaque omnis ſubminiſtratur. Non tam rivis enim eorum diducta oratio eſt, quam fluminibus, ita quidem, ut unico ex capite plures ſæpe Conciones velut in os legentis influant verius, quam promanent. Quod ſi ſententias, & ſimilia mutuari inde quis velit, gemmasque legere, quibus diſtinguatur tractatio, & ſplendorem acquirat; ex græcis, latiniſque tantam ibi copiam reperiet, ut nihil in ea re difficile præter optionem ipſam ſit experturus. Sed uſum Operis Conſpectus ipſe, &

Oeco-

Oeconomia dabit, quam hac de cauſa Libro primo præmittendam totam putavi.

De *Stylo*, cultuque ſermonis nihil attinet dicere, niſi iſtuc fortaſſe, quod neque nulla illius cura, ſed neque multa fuit. Ut enim valde decet eloquenter de eloquentibus dicere: non tamen id neceſſum eſt, quando ſæpe & imbelles de armatis, & de divitibus pauperes colloquuntur. Quid quod arduum eſt, rebus intentos ad verba reſpicere identidem: & ita argumenti conditio fert, ut quantum nitori acceſſerit, tantumdem ſi non ſcriptioni ipſi, at legentium tamen commodo detrahatur? Atqui iſtuc ipſum argumentum tale eſt, ut in eo non vacet, ſæpius nec expediat diſerto eſſe. Stylo igitur non alio ſcripſi, quam cui juvenis aſſueveram, & quem expolire cum alia multa, tum vitæ ſuſceptæ rationes minime permiſerunt. Ex quo enim Patres legere cœpi, fere dimiſi ceteros, & plures anni ſunt, ex quo non memini me profanorum aliquem in manus ſumere. Quod ſi vero id contigit aliquando, certe caſu potius, quam conſilio, & deſtinatione animi eſt factum. Itaque ignoſcendum eſt mihi, ſi verba non revocavi ad trutinam, nec ponderavi, aureane vel argentea illa eſſent, contentus quam maxime, ubi monetæ inſtar ad uſum præſentem nunc quidem mihi faciebant. Ut autem mihi ſatis erat, ornamenta quædam ultro oblata non reſpuere, ſic & Lector ea requirere non debet; præſertim quod materiæ me ita attemperavi, ut

dictio

dictio nec omnino Latina non eſſet, nec tamen accerſeretur longius, aut juveniliter exultaret.

Sed ut illuc revertatur Oratio, unde deduci cœpit: quam vellem, ut aliqui per ſe ipſi aliquando Patres adirent! Sic enim ſcriptione hac noſtra non egerent, niſi forte ad viam muniendam, facemque præferendam. Omittant ſane omnia iſta, quando hoc ab iis jam impetravimus, quod præcipuum nobis erat ſcribendi incitamentum. Quod ſi nullus me audit de re graviſſima diſſerentem, ſi nemo reſpicit parabiles adeo divitias, & humo tollit, verendum profecto nobis, & etiam atque etiam cogitandum eſt, ne Patrum opera, quæ Numinis providentia non vulgaris poſt tot temporum, hominumque injurias, & inter eas tempeſtates, quibus cetera involuta univerſa perierunt, ſola velut communi naufragio eripuit, fruſtra conſecuti videamur. Et quomodo probra, pœnasque ingratorum hominum effugiemus, ſervi non pigri tantum, ſed mali quoque? Neque enim dubitare licet, quin Deus donorum ſuorum prodigus quidem, at minime incurius diſpenſator hujus ſane pretioſiſſimi rationem, & uſuram ſit ſevere aliquando exacturus. An enim ideo & flammæ, & eluviones, & infidelium furor, & nequitia hæreticorum, & vetuſtas ipſa, quæ ferrum quoque & lapides exedit, chartis pepercerunt, ut poſt præli beneficio permaneret quidem apud nos talentum iſtuc, ſed inutile, ſed in terram defoſſum jaceret? Et quid habemus

 miſeri,

miſeri, quod reponamus ad iſta; præſertim, ſi illud quoque reputabimus nobiſcum, fieri nequaquam poſſe, ut qui a Patrum lectione tantum abhorremus, a ſenſibus item & doctrina, & moribus eorum magis magisque in dies non recedamus? Ne igitur, per quidquid charum, ſanctumque, per tantorum virorum ampliſſimas geſtas res, per Dei communis Domini metum, ac amorem, per noſtram, fratrumque ſalutem ſempiternam rogo, atque obteſtor, ne, inquam, ſeu arrogantiæ cuidam, ſeu levitati, fugæque laboris tantum demus; ne præconceptas opiniones publica utilitate potiores habeamus: ne, græculorum more ita toti ſimus in novis conſectandis, ut Patres, Majoresque noſtros penitus abjiciamus. Agitur non dico de Eloquentia, vel exiſtimatione noſtra, ſed de Verbo Dei, ſalutis inſtrumento præcipuo: agitur de ædificatione, & fama Eccleſiæ: agitur de Fide, & Moribus chriſtianis reparandis: agitur de ſumma rei. Jam non contra vitia quæcunque, ac hoſtes obvios bellum ſuſcipitur; ſed contra monſtra opinionum, quæ ex inferno extulerunt caput, conſurgendum; ſed pro aris adeo noſtris dimicandum: ſed ipſa Eccleſiæ propugnacula tuenda ſunt. Duplex genus cladis, ſecta biceps, paris ad impietatem inſaniæ emerſit. Aut enim (quod nec inter gentilitatis tenebras ſive Græci, ſive Romani auſi ſunt) in luce, & conſpectu orbis Chriſtiani Deus tollitur e medio, aut is certe ſtatuitur, qui parum ſatagat rerum noſtrarum, & præter innatam legem æquitatis nihil amplius a nobis

nobis requirat. Hæc peſtis ubi furere in urbibus cœpit, & aperta ſtrage nobiliores depaſta eſt, in provinciam diffunditur paulatim, & in eos quoque, quos minime putes, graſſatur. Surgunt ubique *viri illuſores*, quos Apoſtolus vocat, novi in dies Luciani, Celſi, Porphyrii, Libanii, Juliani, Himerii, Lampridii, Eunapii comparent: *ponunt in cœlum os ſuum, & contra omnipotentem roborati ſunt.* A Patribus ergo, qui hoc genus hominum debellarunt, ſubſidia petenda, neque alia arma ad Religionem defendendam, & conſervandam aptiora ſunt, quam quibus in orbem illa inducta primum eſt, & tam mirifice propagata. Verbo, ea vivimus tempora, in eam ætatem incidimus, ubi deliciæ, pompaque ſermonis minime faciunt ad publicam inſaniam, totamque illam & agendi, & ſentiendi licentiam exſcindendam. Delectare fortaſſe illa multos poſſunt, ſed tanto pauciores docere, ac commovere, uti quam novis, tam triſtibus experientiis compertiſſimum habetur. Nunquam elegantius, accuratius nunquam dictum eſt ad populum, atque modo fit: ſed nec minor unquam fructus extitit: ut qui in laude, & admiratione dicentis jam fere totus conſumitur. * Itaque cum alias, tum vero in concionibus, quas præter plebem, & fœminas ceteri raro accedunt, Religionis

 vindi-

* Nolo hic in eos invehi, qui in pagis hodie, & oppidulis Galliæ Oratores terunt, plebique ruſticæ ea obtrudunt, quæ nec urbana ingenia ferrent. Mali gravitas verba ſuperat, & remedia longe acriora requirit.

vindices, ac incitatores Patres adhibeamus. Calamiſtratos, & unguentatos illos cum Cyprianis, Chryſoſtomis, Hieronymis, Salvianis, atque Bernardis permutemus: hanc *medullam Cedrorum*, ut ſcripturæ verbo abutar, tollamus e Libano: hac paſcamur præcipue, & tamdiu nutriamur, donec in ſuccum, quod ajunt, & ſanguinem tranſierit. Ita, non aliter, ſpem facimus, fore aliquando, uti in locum declamationum, in quibus ars potius, quam natura loquitur, oratio Patrum, ſenatoria illa, plenaque majeſtatis, & intimæ efficaciæ ſuccedat, atque una ſecum antiquos etiam mores reducat. Vale amice Lector, & cohortationem hanc, quam tempeſtatis hujus conditio expreſſit, æqui bonique conſule, quin eodem animo, quo concepta eſt, tecum ipſe ſtudioſius etiam expende.

CON-

CONSPECTUS ET OECONOMIA TOTIUS OPERIS.

VOLUMEN I.

LIBER I. De Eloquentia Patrum.

Continet ea, quæ ad Operis cognitionem uſumque prænoſſe oportet.

Diſſertatio I.

De nomine Patrum; ſeu, quinam nomine Patrum hic veniant? . . . . . *pag.* 1
Caput I. Senſus ſtrictior, quo Patres ſumi ſolent. - ibid.
Caput II. Senſus laxior, quo hic ſumuntur. . . . 7

Diſſertatio II.

De numero & ordine Patrum; ſeu, quot illi Patres, qualesque ſint? 19
Caput I. Exhibetur accurata recenſione ordo chronologicus Patrum *Latinorum*. 20
Caput II. Exhibetur eadem ratione ordo Patrum *Græcorum*. 29

Diſſertatio III.

De auctoritate Patrum; ſeu, quænam Patrum cum alias, tum præcipue in foro eloquentiæ auctoritas ſit? 39
Caput I. Auctoritas Patrum in genere, quam ex doctrina, antiquitate, aliisque titulis in Eccleſia ſemper habuerunt. . . . . ibid.
Caput II. Quantum exin ponderis eorum eloquentiæ accedat? 67

Diſſertatio IV.

De delectu Patrum; ſeu, num omnes Patres ſine diſcrimine eloquentes ſint? . . 85
Caput I. Plures quidem, non tamen omnes, eloquentes eſſe ex *Latinis*. 89

Caput II. Sed neque ex *Græcis*, ubi multo ſunt plures, omnes eſſe eloquentes. . . . *pag.* 102

Diſſertatio V.

De eloquentia Patribus propria; ſeu, an eadem ſit ratio eloquentiæ Patrum, & eloquentiæ profanæ? . . . 118

Caput I. Ingens inter ſacram profanamque eloquentiam diſcrimen eſſe. 119

§. I. Ex *Loco*, ubi dixerunt. . . ibid.

§. II. Ex *Perſona*, quam gerebant. . . 124

§. III. Ex *Argumento* & *Materia*, quam pertractarunt. 138

§. IV. Ex *Fine*, quem reſpiciebant. . 147

§. V. Ex *Mediis*, quæ adhibebant. . 169

§. VI. Ex *Effectibus*, quos produxerunt. . 192

Caput II. In plurimis nihilominus utramque eloquentiam omnino convenire, id quod breviſſima quidem, ſed & planiſſima via demonſtratur. . . 211

Diſſertatio VI.

De cultu & ornatu eloquentiæ Patrum; ſeu, quomodo Patres nominatim circa cultum, ornatumque ſermonis a profanis Oratoribus diſſentiant, vel cum iisdem conſentiant? 219

Caput I. Oſtenditur ex omnium fere ſæculorum graviſſimis Patribus, eosdem pompam, fucumque verborum neglexiſſe potius, quam affectaſſe. . ibid.

Caput II. Oſtenditur aliis locis pariter ab omni retro ætate petitis, Patres moderatum nitorem atque elegantiam, præſertim ubi ſponte ipſis oblatus eſt, ac veluti ſub manibus enaſcebatur, nequaquam averſatos eſſe. 235

Diſſertatio VII.

De comparatione eloquentiæ Patrum cum eloquentia Oratorum; ſeu, an & quomodo conferre Patres liceat cum Oratoribus iis profanis, qui poſt hominum memoriam diſertiſſimi fuerunt? . . 253

Caput I. Minime mirum eſſe, quod Patres ad Auctorum claſſicorum elegantiam, & vim dicendi non omnino pertigerint. . . . . . ibid.

Caput

Caput II. Poſt hos vero eloquentiæ principes neminem Patribus anteferri, imo pleroſque ne comparari quidem cum ipſis ullo modo poſſe. . *pag.* 264
Clauſula Libri I. & dictorum Compendium. . . 287

VOLUMEN II.

LIBER II. De Eloquentia Patrum.

Patrum *Latinorum* eloquentiam ſingulatim exponit, atque conſiderat.

Diſſertatio I. De eloquentia TERTULLIANI.

Caput I. Quanta ea fuerit, & quibus laudibus a diſertis hominibus cumulata?
Caput II. Quis ejus eloquentiæ character?
Caput III. Quibus in ſcriptionibus eloquentiæ vires maxime *Tertullianus* exprompſerit?

Appendix. De eloquentia MINUTII FELICIS.

Diſſertatio II. De eloquentia S. CYPRIANI.

Caput I. Laudes ejus, & judicia Auctorum.
Caput II. Notæ peculiares.
Caput III. Ubi potiſſimum illa reſplendeat?

Diſſertatio III. De eloquentia LACTANTII.

Caput I. Quid de ea viri eloquentes ſenſerint?
Caput II. Dotes hujus eloquentiæ.
Caput III. Ubi ea excellat præcipue?

Diſſertatio IV. De eloquentia S. PACIANI.

Caput I. Laus ejus.
Caput II. Notiones ſtyli.
Caput III. Ubi placeat præcipue?

Diſſertatio V. De eloquentia S. AMBROSII.

Caput I. Encomia illius.
Caput II. Quid illi maxime proprium?
Caput III. Ubi emineat Patris hujus facundia?

Diſſertatio VI. De eloquentia SULPITII SEVERI.

Caput I. Encomia.
Caput II. Notæ peculiares.
Caput III. Elegantiora ex ſcriptis *Severi.*

Diſſertatio VII. De eloquentia S. HIERONYMI.

Caput I. Elogium eloquentiæ hujus.
Caput II. Quid habeat peculiare?
Caput III. Ubi maxime expromat facundiam ſuam *Hieronymus*?

Diſſertatio VIII. De eloquentia S. AUGUSTINI.

Caput I. Quæ laudes illius, & ſententiæ Auctorum?
Caput II. Quod ejusdem diſcerniculum?
Caput III. Ubi eloquentem ſe magis *Auguſtinus* oſtenderit?

Diſſertatio IX. De eloquentia S. PAULINI.

Caput I. Laudes ejus.
Caput II. Lineamenta, quibus internoſcatur.
Caput III. Pretioſiora ex iis, quæ adhucdum extant.

Diſſertatio X. De eloquentia S. EUCHERII.

Caput I. Elogium.
Caput II. Dos characteriſtica.
Caput III. Delectus ſcriptionum.

Diſſertatio XI. De eloquentia SALVIANI.

Caput I. Commendatio, & celebritas ejus.
Caput II. Character proprius, & peculiaris.
Caput III. Ubi triumphet imprimis *Salviani* eloquentia?

Appendix. De eloquentia S. VINCENTII *Lirinenſis.*

Diſſertatio XII. De eloquentia S. LEONIS M.

Caput I. Præſtantia hujus, & exiſtimatio apud diſertos homines.
Caput II. Quid habeat uni ſibi proprium?
Caput III. Quæ ejus ſcriptiones præcipue laudentur?

Diſſertatio XIII. De eloquentia S. BERNARDI.

Caput I. Quam eximia, quam celebris illa ſit?
Caput II Character, & diſcrimen ab omni alia.
Caput III. Quibus locis præſtet *Bernardus* in dicendo?

VOLU-

VOLUMEN III.

LIBER III. De Eloquentia Patrum.

Patrum *Græcorum* eadem ratione, qua ante Latinorum, eloquentiam expendit.

Diſſertatio I. De eloquentia CLEMENTIS *Alexandrini.*

Caput I. Laus eloquentiæ ejus.
Caput II. Notæ ſpeciales.
Caput III. Ubi ſe magis diſertum *Clemens* præbuerit?

Diſſertatio II. De eloquentia ORIGENIS.

Caput I. Laudatur illa.
Caput II. Character ejusdem deſcribitur.
Caput III. Quid ex reſiduis Operibus reſpondeat famæ tantæ facundiæ?

Diſſertatio III. De eloquentia S. ATHANASII.

Caput I. Elogium eloquentiæ *Athanaſianæ.*
Caput II. Vultus ejusdem, & lineamenta.
Caput III. Opuſcula, quibus excellit potiſſimum.

Diſſertatio IV. De eloquentia S. BASILII M.

Caput I. Quam ſingulari, & admirabili facundia *Baſilius* extiterit?
Caput II. Quem ſervet characterem?
Caput III. Ubi emineat præcipue?

Diſſertatio V. De eloquentia S. GREGORII *Nazianzeni.*

Caput I. Eloquentiſſimum eſſe *Gregorium.*
Caput II. Et habere varia in dicendo uni ſibi propria.
Caput III. Quasdam ſcriptionum ejus præ ceteris facere ad facundiam parandam.

Diſſertatio VI. De eloquentia S. GREGORII *Nyſſeni.*

Caput I. Quanta ſit, & quæ ejus apud Auctores encomia?
Caput II. Agitur de charactere, & notis ejus.
Caput III. Scripta præſtantiora *Nyſſeni.*

Diſſertatio VII. De eloquentia S. ASTERII *Amaſeni.*

Caput I. Magni facienda eſſe, quæ ille ſcripſit.
Caput II. Peculiarem habere dicendi rationem.

Caput III. Quibus locis placeat maxime, & afficiat lectorem?

Diſſertatio VIII. De eloquentia S. JOANNIS *Chryſoſtomi.*

Caput I. Panegyris eloquentiæ ejus.
Caput II. Notæ, & characteres in dicendo.
Caput III. Scriptiones præ ceteris admirandæ, & legendæ.

Diſſertatio IX. De eloquentia SYNESII.

Caput I. Unum ex facundiſſimis Græcorum eſſe *Syneſium.*
Caput II. Notæ ejus characteriſticæ.
Caput III. Opuſcula præcipua.

Diſſertatio X. De eloquentia S. ISIDORI *Peluſiotæ.*

Caput I. Pulcherrime ſcribere *Iſidorum.*
Caput II. Facile ab aliis internoſci calamum ejus.
Caput III. Eſſe & apud eum, quæ præ aliis placeant.

Diſſertatio XI. De eloquentia S. NILI.

Caput I. Illuſtratur illa generatim.
Caput II. Diſcerniculum ejus inquiritur.
Caput III. Ubi maxime vigeat, oſtenditur.

Diſſertatio XII. De eloquentia THEODORETI.

Caput I. Exiſtimatio, quam meretur.
Caput II. Notæ, quibus diſcernitur.
Caput III. Libri, ubi maxime elucet.

Diſſertatio XIII. De eloquentia S. JOANNIS *Damaſceni.*

Caput I. Præſtantia & laus ejus.
Caput II. Rationes ſtyli propriæ & peculiares.
Caput III. Opuſcula, quæ reliquis præferri ſolent.

Appendix. De eloquentia GEORGII *Nicomedienſis*, per Saturam. Item adventoria amiciſſimo Viro N. N. qui de eloquentia DIONYSII, dicti *Areopagitæ*, Auctoris ſententiam quæſierat.

* * *

VOLU-

VOLUMEN IV.

LIBER IV. De Eloquentia Patrum.

Specimina Officiorum dicendi generalium ex Patribus repræſentat.

Caput I.	Specimina	*Peritiæ* in animis præparandis, benevolentiaque captanda.
Caput II.	- - -	*Perſpicuitatis* in docendo.
Caput III.	- -	*Copiæ* & *Varietatis* in amplificando.
Caput IV.	- - -	*Amœnitatis* in delectando.
Caput V.	- -	*Soliditatis*, *Subtilitatis* & *Novitatis* in argumentando.
Caput VI.	- - -	*Efficaciæ* in movendo.
Caput VII.	- -	*Morum*, quos dicunt, & reliquæ *Prudentiæ* oratoriæ.

LIBER V. De Eloquentia Patrum.

Dat Specimina Eloquentiæ Patrum circa Genera dicendi.

Caput I.	Specimina circa	genus dicendi *planum* & *ſummiſſum*.
Caput II.	- - - - - -	genus dicendi *ſublime*.
Caput III.	- - - -	genus dicendi *temperatum*.
Caput IV.	- - - - - -	genus dicendi *numeroſum* & *harmonicum*.
Caput V.	- - - -	genus dicendi *denſum*, *inſtans* & *preſſum*.
Caput VI.	- - - - - -	genus dicendi *argutum*, *conciſum* & *ſententioſum*.
Caput VII.	- - - -	genus dicendi *abruptum* atque *laconicum*.
Caput VIII.	- - - - -	genus dicendi *vehemens*, *incitatum* & *rapidum*.
Caput IX.	- - - -	genus dicendi *grave*.
Caput X.	- - - - - -	genus dicendi *floridum*, ſeu (ut alii appellant) *vividum*, *pictum*, *luminoſum*.
Caput XI.	- - - -	genus dicendi *tenerum*, *dulce*, *unctuoſum*.
Caput XII.	- - - - -	genus dicendi *ſalſum*, *pungens* & *ſatyricum*.

* * *

VOLU-

VOLUMEN V.

LIBER VI. De Eloquentia Patrum.

Specimina præbet Eloquentiæ Patrum circa Partes ipſas Orationis.

Caput:	Specimina:	*Caput:*	Specimina:
I.	*Exordiorum.*	IV.	*Confirmationum.*
II.	*Narrationum.*	V.	*Confutationum.*
III.	*Propoſitionum* ac *Diviſionum.*	VI.	*Digreſſionum.*
		VII.	*Epilogorum.*

LIBER VII. De Eloquentia Patrum.

Specimina nobiliorum Figurarum ex Patribus oſtendit.

PARS I.

Specimina Figurarum, quæ ad Docendum maxime, & Delectandum faciunt.

Articulus:	Specimina:	*Articulus:*	Specimina:
I.	*Allegoriæ.*	XV.	*Hypotheſeos.*
II.	*Antitheſis.*	XVI.	*Inductionis.*
III.	*Aſſeverationis.*	XVII.	*Interjectionis.*
IV.	*Communicationis.*	XVIII.	*Ironiæ.*
V.	*Comparationis.*	XIX.	*Licentiæ.*
VI.	*Conceſſionis.*	XX.	*Occupationis.*
VII.	*Correctionis.*	XXI.	*Præteritionis.*
VIII.	*Deſcriptionis.*	XXII.	*Reticentiæ.*
IX.	*Dubitationis.*	XXIII.	*Retorſionis*, vel *Inverſionis.*
X.	*Enumerationis.*		
XI.	*Examinationis.*	XXIV.	*Similitudinis.*
XII.	*Excuſationis.*	XXV.	*Subjectionis.*
XIII.	*Exempli.*	XXVI.	*Suſpenſionis.*
XIV.	*Gradationis.*	XXVII.	*Suſpicionis.*

Pars II.

Specimina Figurarum, quæ propius ad Affectus ſedandos, aut ciendos valent.

Articulus:	Specimina:	Articulus:	Specimina:
I.	*Adjurationis.*	XI.	*Hypotypoſeos.*
II.	*Apoſtrophes.*	XII.	*Inſultationis.*
III.	*Appellationis.*	XIII.	*Lamentorum.*
IV.	*Contemptionis.*	XIV.	*Minarum.*
V.	*Dialogiſmi.*	XV.	*Obſecrationis* & *Obteſtationis.*
VI.	*Ethopœiæ.*	XVI.	*Optationis.*
VII.	*Exaggerationis.*	XVII.	*Proſopopœiæ.*
VIII.	*Exclamationis.*	XVIII.	*Sermocinationis*, ſeu *Dialogiſmi.*
IX.	*Exprobrationis.*	XIX.	*Spectaculi.*
X.	*Gratulationis* & *Lætitiæ* ſignificationum.	XX.	*Valedictionis.*

Volumen VI.

Liber VIII. De Eloquentia Patrum.

Specimina omnium ſpeciatim Affectuum, ſeu excitandorum ſeu ſedandorum, profert.

Caput:	Specimina:	Caput:	Specimina:
I.	*Admirationis* & *Stuporis.*	IX.	*Gratitudinis.*
II.	*Amoris.*	X.	*Indignationis*, *Iræ*, *Averſationis*, *Odii.*
III.	*Audaciæ.*	XI.	*Invidiæ* ac *Æmulationis.*
IV.	*Commiſerationis.*	XII.	*Pudoris* & *Verecundiæ.*
V.	*Deſiderii.*	XIII.	*Spei* & *Fiduciæ.*
VI.	*Deſperationis.*	XIV.	*Timoris.*
VII.	*Doloris* ac *Pœnitudinis.*	XV.	*Triſtitiæ.*
VIII.	*Gaudii* & *Delectationis.*		

Liber IX. De Eloquentia Patrum.

Praxin docet, Patribus ad Oratoriam ſacram rite utendi.

Diſſertatio I. De ratione Patres *legendi.*
Diſſertatio II. De ratione Patres *adnotandi.*
Diſſertatio III. De ratione Patres *allegandi.*
Diſſertatio IV. De ratione Patres *imitandi.*

✲ VOLU-

Volumen VII.

Liber X. De Eloquentia Patrum.

Ad Themata ea, quorum in Dogmatica & Morali chriſtiana frequentiſſimus uſus eſt, ſelectos Patrum locos ſuppeditat. (*)

Titulus:

I. De *Abuſibus* (quos dicunt) ſeu pravis Conſuetudinibus, publice introductis.

Caput I. *Loci elegantiores* in eam materiam.
Caput II. *Fontes* ex aliis Patrum Operibus, unde plures alii loci peti poſſunt.

Et ſic deinceps.

II. De *Adverſis*, deque Patientia, & aliis Virtutibus inter illa exercendis.
III. De *Amore*, divino erga nos, & noſtro erga Deum.
IV. De *Amore* erga Proximum.
V. De *Anima* noſtra, & quæ ad eam proxime referri poſſunt.
VI. De *Avaritia*.
VII. De *Blaſphemiis*, Juramentis, Maledictis &c.
VIII. De *Cælo*, & Gaudiis ejus.
IX. De *Communione*; ſeu Euchariſtia.
X. De *Concionibus*, & Verbi divini Prædicatione.
XI. De *Conſuetudine*; ſeu malo Habitu acquiſito.
XII. De *Detractione*.
XIII. De *Deo*, ejusque Attributis.
XIV. De *Divitiis*.
XV. De *Ebrietate*.
XVI. De *Eccleſia*, aliisque huc pertinentibus.
XVII. De *Eleemoſyna* &c.
XVIII. De *feſtis Diebus*.
XIX. De *Fide*, & Religione chriſtiana.
XX. De *Gratia*; tam habituali, quam actuali.
XXI. De *Gula*, Jejunio, & ceteris huc ſpectantibus.
XXII. De *Hæreſi*.
XXIII. De *Inferno*, ejusque duplici Poena, damni & ſenſus.
XXIV. De *Juſtitia*, ejusque Officiis, Adminiſtris, Læſionibus.
XXV. De *Judicio* divino, particulari & generali.

Titulus:

(*) Ordo *Titulorum*, quo reperiantur facilius, juxta ſeriem *Alphabeti* digeſtus eſt.

Titulus:

XXVI. De *Liberis*, eorumque erga Parentes Officiis.
XXVII. De *Luxuria*.
XXVIII. De *Magiſtratibus*, & Capitibus Familiarum.
XXIX. De *Matrimonio*.
XXX. De *Morte*, & quæ huc ſpectant.
XXXI. De *Mundo;* tam phyſico, quam morali ſenſu.
XXXII. De *Occaſionibus* peccandi, propinquis & proximis.
XXXIII. De *Odio*, Vindicta: Reconciliatione item, & Amore Inimicorum.
XXXIV. De *Parentibus*, & eorum in Liberos Officiis.
XXXV. De *Peccato* originali.
XXXVI. De *Peccato* actuali, gravi & veniali.
XXXVII. De *Poenitentia* generatim.
XXXVIII. De *Poenitentiæ* Procraſtinatione.
XXXIX. De *Poenitentiæ* Partibus omnibus, fuſe & ſingillatim.
XL. De *Relapſu*.
XLI. De *Reſtitutione*.
XLII. De *Salute;* ejus Negotio, Cura, Momento, Difficultate.
XLIII. De *Scandalo*.
XLIV. De *Societate*; tam bona, quam mala.
XLV. De *Timore* Dei.
XLVI. De *Vita* humana, ejusque Defectibus ac Miſeriis.

Subjungitur *Index* aliorum quoque *Titulorum*, hic fortaſſe requirendorum; qui tamen vel in memoratis contenti jam ſunt, vel certe ſequentibus in Libris reperientur. Ordo commoditatis ergo idem eſt cum priore, nempe *alphabeticus*.

VOLUMEN VIII.

LIBER XI. De Eloquentia Patrum.

Alios exhibet Locos; ad ea ſcilicet Argumenta, ſive moralia ſive dogmatica, quæ etſi non ſunt frequentiſſima, ſæpe nihilominus ſolent pro Concione adhiberi.

Titulus:

I. De *Æternitate* generatim.
Caput I. Caput II. } *Ut priore Libro.*
II. De *Ambitione*.

Titulus:

Titulus:

III. De *Amicitia*.
IV. De *Amore* proprio.
V. De *Baptiſmo*.
VI. De *Cæcitate* Spiritus, ſeu Occœcatione (ut alii appellant.)
VII. De *Carne*, ſeu Corpore noſtro; & tam ea, quæ in favorem contra præpoſteros ejus Hoſtes, quam quæ in odium contra præpoſteros ejus Amatores faciunt.
VIII. De *Conformatione* ad divinam Voluntatem.
IX. De *Conſcientia*.
X. De *Correptione* fraterna.
XI. De *Cruce*, cum illa Domini, tum altera morali, quæ in illius communicatione & amore ſita eſt.
XII. De *Electione* Status, & quæ huc ſpectant.
XIII. De *Excuſationibus* in Peccatis.
XIV. De *Exemplo*, triplici ſenſu; ſcilicet: ut ad Ædificationem, Confirmationem dictorum, & Cautelam facit.
XV. De *Fervore*, Profectu & Studio Perfectionis.
XVI. De *Fiducia* in Deum, & oppoſita illi Diffidentia.
XVII. De *Fine* ultimo Hominis.
XVIII. De *Gloria* humana.
XIX. De *Gratitudine* & Ingratitudine, erga Deum & Homines.
XX. De *Humilitate*.
XXI. De *Intentione*, rectaque in operando Voluntate.
XXII. De *Invidia*.
XXIII. De *Ira*.
XXIV. De *Judicio* temerario, Suſpicionibus &c.
XXV. De *Juriſdictione*, & Immunitate eccleſiaſtica.
XXVI. De *Juventute*, & quæ huc pertinent.
XXVII. De *Liberalitate*, Luxu, Prodigalitate.
XXVIII. De *Miſſæ* ſacrificio.
XXIX. De *Mollitie* moderna; ſeu otioſa, delicataque Vita.
XXX. De *Mortibus* Charorum, Luctuque reprimendo.
XXXI. De *Mortificatione*, externa & interna.
XXXII. De *Obduratione*, Frigore, Stupore & Inſenſibilitate Animi.
XXXIII. De *Obedientia*; tam erga Deum, quam alios ejus locum tenentes.
XXXIV. De *Operibus* bonis, ſeu recte factis.

Titulus:
XXXV. De *Occaſionibus* recte agendi.
XXXVI. De *Oratione*. Primo generatim: tum de dominica; denique ea, quæ publice & communiter fit.
XXXVII. De *Otio*.
XXXVIII. De *Paſſionibus*, & Affectionibus Animi generatim.
XXXIX. De *Pace* & Concordia, quæque his opponuntur.
XL. De *Peccatis*, quæ ſola Cogitatione vel Deſiderio admittuntur.
XLI. De *Peccatis* occultis, quæ per Ignorantiam, Inadvertentiam, & Oblivionem culpabilem fiunt.
XLII. De *Perſeverantia*.
XLIII. De *Poenis* & Suppliciis divinis, publicisque Calamitatibus.
XLIV. De *Pontifice* Maximo.
XLV. De *Prædeſtinatione* & Reprobatione.
XLVI. De *Præſentia* & Memoria Dei.
XLVII. De *Præſumptione*.
XLVIII. De *Providentia* divina.
XLIX. De *Proſperitate*, & ſecundo Rerum Curſu.
L. De *Religioſis*, & iis omnibus, quæ propius ad illos referuntur.
LI. De *Reſpectu* humano.
LII. De *Sacerdotio*.
LIII. De *Scriptura* divina.
LIV. De *Sacrilegiis*.
LV. De *Sermonibus*, Facetiis, Cantilenis, ſive inhoneſtis ſive contumelioſis.
LVI. De *Servitute*, Dei & Mundi.
LVII. De *Spe*, & oppoſita illi Deſperatione.
LVIII. De *Superbia*.
LIX. De *Superſtitionibus*.
LX. De *Temperantia* generatim.
LXI. De *Templis*, Reverentia ibi exhibenda &c.
LXII. De *Tempore*.
LXIII. De *Tentationibus*.
LXIV. De *Tepore*, Acedia, & ſimilibus.
LXV. De *Veritate*, Mendacio, Simulatione.
LXVI. De *Veſtibus*, & quocunque Ornatu Corporis.
LXVII. De *Zelo*, vero & falſo.

Subjungitur *Index* aliorum præterea *Titulorum*, quos verbis ſolum mutatis, ſive hoc ſive alio Libro, invenies.

Volumen IX. & ultimum.

Liber XII. De Eloquentia Patrum.

Elegantiores Locos Patrum in eo genere Materiarum repræſentat, quæ, tam in Dogmatica quam Morali, rarius occurrunt.

Titulus:

I. De *Abortu*; quacunque culpa, vel arte procurato.

Caput I. Caput II. } *Ut duobus Libris præcedentibus.*

II. De *Adulatione.*
III. De *Amore* Cognatorum, Patriæ, Nationis.
IV. De *Bacchanalibus*, & ſi qui alii per anni decurſum geniales Dies ſunt.
V. De *Bello.*
VI. De *Bonis*, & Beneficiis eccleſiaſticis.
VII. De *Choreis.*
VIII. De *Cognitione* ſui.
IX. De *Colloquiis* piis.
X. De *Comoediis*, & Spectaculis inhoneſtis.
XI. De *Contentionibus* & Contradictionibus.
XII. De *Curioſitate.*
XIII. De *Debitis.*
XIV. De *Decimis.*
XV. De *Devotione*, vera & falſa.
XVI. De *Diſtractionibus*, & Evagationibus Animi.
XVII. De *Dominis*, eorumque in Servos Officiis.
XVIII. De *Duello.*
XIX. De *Epiſcopatu.*
XX. De *Examine* quotidiano Conſcientiæ.
XXI. De *Forma* & Pulchritudine Corporis.
XXII. De *Fortitudine*, vera & falſa.
XXIII. De *Hæreditatibus*, Teſtamentis &c.
XXIV. De *Homicidio.*
XXV. De *Hominis* Natura, Dotibus, Artificio mirabili.
XXVI. De *Hypocriſi.*
XXVII. De *Indole*, ſeu Temperamento (ut vocant) & Paſſione prædominante.
XXVIII. De *Indulgentiis.*
XXIX. De *Innocentia*, & Immunitate ab omni, aut ſaltem ab impacto Crimine.
XXX. De *Judiciis* divinis circa nos.

Titulus:

Titulus:

XXXI. De *Judicio* proprio.

XXXII. De *Lætitia*, vera falſaque, Conſolationibus &c.

XXXIII. De *Libertate*; tam phyſico, quam alio duplici Senſu, ad Mores traducto.

XXXIV. De *Longanimitate* divina.

XXXV. De *Luſibus*, a Fortuna dictis.

XXXVI. De *Minimis* in genere Morum.

XXXVII. De *Miraculis.*

XXXVIII. De *Miſericordia*, variisque ejus Operibus, ab Eleemoſyna alibi tractata diſtinctis.

XXXIX. De *Modeſtia*, aliisque cognatis Virtutibus.

XL. De *Monialibus*, & ſacris Deo Virginibus.

XLI. De *Morbis*, & quæ huc ſpectant.

XLII. De *Mulieribus*, aliisque eo pertinentibus.

XLIII. De *Nobilitate.*

XLIV. De *Nominibus*, & Appellationibus morali Senſu.

XLV. De *Novitatibus.*

XLVI. De *Oeconomia*, & quæ Procurationem Temporalium reſpiciunt.

XLVII. De *Ordine* in Rebus agendis.

XLVIII. De *Paupertate.*

XLIX. De *Picturis* & Imaginibus, ſacris & profanis.

L. De *Proceſſionibus*, quas dicunt, & Peregrinationibus ſacris.

LI. De *Sapientia*, Conſilio, Prudentia, Simplicitate, aliisque huc ſpectantibus.

LII. De *Scientia* & Literis.

LIII. De *Senectute.*

LIV. De *Servis*, eorumque in Dominos Officiis.

LV. De *Silentii* ſtudio, & fræno Linguæ.

LVI. De *Simonia.*

LVII. De *Solitudine.*

LVIII. De *Somno.*

LIX. De *Traditionibus*, in re Fidei & Morum.

LX. De *Triſtitia.*

LXI. De *Voto.*

LXII. De *Unctione* extrema.

LXIII. De *Uſuris.*

Accedit *Index* aliorum *Titulorum*, ad hanc Claſſem ſpectantium; ſed alio verbo, ſive hujus ſive alterius Libri, requirendorum.

Liber XIII. De Eloquentia Patrum.

Conſtat lectiſſimis Patrum Locis in Feſta quæcunque, & habet ad calcem Supplementum in eos quoque ſacros Dies, de quibus Patres nullibi meminerunt, per Accommodationem videlicet, & Similitudinem Argumenti.

In *Adventum Domini.*
Caput I. } *Ut ſupra.*
Caput II. }
In Feſtum S. *Andreæ* Apoſtoli.
In immaculatam *Conceptionem B. V.*
In Feſtum S. *Thomæ* Apoſtoli.
In *Nativitatem Domini:* Ubi æterna Verbi Generatio, & Myſterium ipſius Incarnationis fuſe expenditur,
In Feſtum S. *Stephani.*
In Feſtum S. *Joannis* Evangeliſtæ.
In Feſtum SS. *Innocentium.*
In *Circumciſionem Domini.*
In ſanctiſſimum *Nomen Jeſu.*
In *Epiphaniam Domini.*
In *Purificationem B. V.*
In Feſtum S. *Joſephi.*
In *Annunciationem B. V.*
In Feſtum *Dolorum* ejusdem.
In *Cœnam Domini.* V. verbo: *Communio.*
In *Paraſceven:* Ubi primum Myſteria Chriſti patientis minutim illuſtrantur; dein Affectus varii adducuntur: fuſius utrumque, & cum delectu.
In *Paſcha:* Ubi de Reſurrectione Servatoris primum, tum de noſtra quoque.
In *Inventionem S. Crucis.*
In *Aſcenſionem Domini.*
In *Pentecoſten.*
In ſanctiſſimam *Trinitatem.*
In Feſtum ſanctiſſimi *Corporis Chriſti.* V. verbo: *Communio.*
In Feſtum ſanctiſſimi *Cordis Jeſu.*
In Feſtum S. *Joannis Baptiſtæ.*
In Feſtum SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli.*
In *Viſitationem B. V.*
In Feſtum S. *Mariæ Magdalenæ.*
In Feſtum S. *Jacobi* Apoſtoli.
In Feſtum S. *Laurentii.*
In *Aſſumptionem B. V.*
In Feſtum S. *Bartholomæi* Apoſtoli.

In

In Feſtum S. *Angeli Cuſtodis.*
In *Nativitatem B. V.*
In *Exaltationem S. Crucis.*
In Feſtum S. *Matthæi* Apoſtoli.
In Feſtum S. *Michaëlis* Archangeli.
In Feſtum *Sanctorum omnium.*
In *Commemorationem* omnium *Fidelium defunctorum.*
In Feſtum S. *Martini.*
In *Præſentationem B. V.*
In Feſtum *Dedicationis Templi.*
In Feſtum *Sancti* cujusdam *tutelaris*, qui peculiarem alicubi cultum habet.

SEQUUNTUR APPENDICES DUÆ.

APPENDIX I.

Supplementum ad Feſta quædam *ſpeciatim.*

In Feſtum S. *Sebaſtiani* M.
S. *Mathiæ* Apoſtoli.
SS. Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi.*
S. *Annæ* Matris B. V.

In Feſta *Scapularis*, *Roſarii*, *Patrocinii B. V.* Itemque *Sodalitatum* ejus, ubi:
1. Quæ pro *Æſtimatione* & *Reverentia* Deiparæ,
2. Quæ pro *Affectu* & *Fiducia* in eam,
3. Quæ pro *Defenſione* ejus contra Hoſtes,
4. Quæ pro *Cultu* ac ſpeciali *Clientela* ejus faciunt, fuſe afferuntur.

APPENDIX II.

Supplementum ad Feſta quædam *generatim.*

De *Apoſtolis* generatim, vel *de Communi* (ut ajunt) Apoſtolorum.
De *Martyribus* generatim.
De *Confeſſoribus*, *Pontificibus*, generatim.
De *Confeſſoribus*, non Pontificibus, generatim.
De *Virginibus*, aliisque ſanctis *Mulieribus*, *Martyribus*, generatim.
De *Virginibus*, non Martyribus, generatim.
De *Viduis* generatim.

Ubi Ordo, Modusque Tractationis idem eſt cum prioribus tribus Libris. Cujusque enim Tituli *Caput I.* ſelectiores Locos dat: *Caput II.* Fontes aliorum præterea Locorum oſtendit.

APPROBATIO.

Cum Eccleſiaſticis omnibus, præcipue iis, qui Conciones habent, neceſſe ſit, Opera Patrum verſare: & Auctor Operis *de Eloquentia Patrum* tam erudite, quam efficaciter ad hunc laborem alliciat; dignus eſt ejus Liber, ut ubique in manus illorum veniat: tanto magis, quod nihil ibi ſeu rectæ Fidei, ſeu bonis Moribus contrarium occurrit.

Ex Vicariatu Auguſtano.
Die 19. Jul. 1772.

JOANNES HERZ,
S. Theol. Lic. Reverendiſſ. ac Sereniſſ. Archiepiſc. Trevir. & Epiſc. Aug. Conſiliar. eccl. Fiſcalis, Viſitat. Diœceſ. Canon. ad S. Gertrud. ac Provicarius general. mpria.

CONTENTA HOC VOLUMINE vide in *Conſpectu* totius Operis, quem dedimus paulo ante, ac fronti ejus præfiximus.

DE ELO-

Digitized by Google

DE ELOQUENTIA PATRUM LIBER I.

Continet ea, quæ ad Operis cognitionem, uſumque prænoſſe oportet.

DISSERTATIO I.

De nomine Patrum,

ſeu

quinam nomine Patrum hic veniant.

De Eloquentia Patrum dicere incipienti mihi, illud ante omnia diſcutiendum ſollicite, ſtabiliendumque intelligo; quinam ii ſint, qui eorum nomine veniant nobis, quosque dignos habeamus, ut cenſeantur Patrum numero, atque in ſanctiſſimum illum, auguſtiſſimumque conſeſſum admittantur.

CAPUT I.

Senſus ſtrictior, quo Patres ſumi ſolent.

1. Recepto jam uſu Patres Eccleſiæ illuſtres eos viros accipere ſolemus, quos poſt Prophetas & Apoſtolos magiſtros nobis, atque doctores

dedit Deus, & veluti ſidera quædam in Eccleſiæ ſuæ firmamento ſuſpendit, ut cum vitæ exemplo prælucerent nobis, tum præſtantia, ſinceritateque doctrinæ errorum ac hæreſum tenebras diſſiparent. De induſtria autem factum, ut in ſenſum ſtrictiorem quidem, non vero ſtrictiſſimum hic inquirerem. Iſto enim ſoli Apoſtoli nomen Patrum auferrent, quod juxta Paulum 1. *Cor.* 4. *v.* 1. ii duntaxat, qui in Chriſto Jeſu per Evangelium nos genuerunt, *Patres*, ceteri vero, qui jam natos inſtruxerunt, nonniſi *Pædagogi* noſtri ſunt appellandi. Quam vera autem, planaque ea Patrum ſignificatio eſt, tam parum uſurpatam video, quod ſcilicet Apoſtolis tituli alii ſuppetunt plurimi, quibus, utpote multo clarioribus, aliunde ſatis in Eccleſia reſplendent. Ut autem vel ſic in appellatione ipſa Patrum hæreamus, proles eam facit, atque, uti res loquitur, inde ſumpta metaphora eſt, quod Sancti illi velut perpetua ſucceſſione novos ſemper in Chriſto liberos gignerent, eosque verbi divini alimento quodam proprio nutrirent, & educarent. *Qui enim ab aliquo edoctus eſt verbo*, inquit antiquiſſimorum Patrum unus, S. Irenæus, *filius docentis dicitur, & ille ejus Pater.* * At vero, dices, & ipſi Patres utique filii Eccleſiæ eſſe non deſierunt? Nempe paulatim in patres excrevere, poſtquam eadem docere alios cœperunt, quæ ante ipſi didiciſſent. In quam rem egregie, ut ſolet, S. Auguſtinus: *Non ſolum filii*, ait, *ſed & patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt, de quibus prædictum eſt: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii; conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Ex qua filii regenerati ſunt, ut hæc diſcerent: ejus patres facti ſunt, ut docerent.* **

Et

* *Libro* 4. *cap.* 75.

** *Libro* 1. *contra Julianum, cap.* 7.

Et divus Hieronymus *Epiſtola* 140. nunc 65. *ad Principiam*, ſub finem, ita Eccleſiam alloquens: *O Eccleſia! filii tui, quos genuiſti tibi, vertentur in patres tuos, cum de diſcipulis eos feceris magiſtros, & in ſacerdotali gradu omnium teſtimonio collocaveris.* Idipſum non uno loco divus Cyrillus Alexandrinus explicavit. Vide Lorinum & Corderium in illud *Pſalmi* 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*, & Raynaudum in *Critica ſacra, pag.* 162. & 163.

2. Hæc velut generatim. Quinam vero ſpeciatim illi ſint Patres, ab ipſius Eccleſiæ vel declaratione, vel uſu aliquo potius, quam privato judicio repetendum eſt. Quemadmodum enim in Sanctorum appellatione comparatum videmus, ut nemo talis palam a fidelibus, & publice habeatur, quantamcunque a vitæ integritate, & rerum geſtarum gloria laudem conſecutus, niſi quem in Sanctorum *Canonem*, ut loquimur, ſeu catalogum pro poteſtate ſua illa retulerit: ſive, ut profano etiam, & propiore exemplo utamur, quemadmodum literatiſſimus quiſque, qui doctrinæ fama ac ubertate quam longiſſime alios poſt ſe relinquat, in academia tamen, & communi ſede literarum inſtituta, niſi prævio examine tentatus ſcientiæ cujusdam lauream adipiſcatur, *Doctoris* titulum, inſignia, atque privilegia uſurpare haudquaquam poteſt: ita & in noſtra cauſa uſuvenit, ut nemo Pater, ſive Doctor, ac Magiſter Eccleſiæ dicatur, niſi ille tantum, quem Eccleſia hoc nomine compellandum ſibi, & decorandum, quaſi publica, legitimaque auctoritate judicavit.

Neque eſt, cur quiſpiam in limine mihi opponat ſeſe, &, cum pauciſſimis palam, ac ſolenniter obtigerit titulus ille, quatuor ſolos, Ambroſium videlicet, Hieronymum, Auguſtinum & Gregorium Papam Eccleſiæ Patres dicendos contendat. (Hos enim, neque alios Bonifacius VIII. in *Decre-*

tali ſua: *Glorioſus Deus in Sanctis ſuis*, tales nominavit. *) Sed in promptu eſt reſponſio. Ut enim nihil dicam, hos non *Patres* ibi, ſed *Doctores Eccleſiæ* appellari, diverſo, ut videbimus, vocabulo: non de ſolenni duntaxat Eccleſiæ declaratione mihi ſermo eſt; ſed iſtuc unice volo, ſaltem aliquam eſſe oportere, tacita ea ſit, an expreſſa, uſu quocunque, aſſenſuve introducta. Quidvis horum dederis, jam probati illi ſunt, dignique, quos fideles conſulere, & audire docentes poſſint. Tali autem declaratione, præter quatuorviros illos, Doctores dicuntur S. Hilarius Pictavienſis, S. Athanaſius, S. Baſilius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Petrus Chryſologus, S. Iſidorus Hiſpalenſis; quod tam in divino ſacrificio, quam canonico penſo, ut cœleſtis ſcientiæ Magiſtri & Doctores, peculiari ritu coli conſueverunt. Sed & S. Bernardus in *Collecta* ab Innocentio III. compoſita, & noviſſime S. Leo Magnus a Benedicto XIV. titulum eum retulere. **

3. Nec ſequitur tamen, ut obiter paulo ante monebam, hos ſolos Patres eſſe; quando latior paulo Doctoris, quam Patris Eccleſiæ ſignificatio eſt, atque ea ſolum de cauſa Doctores illi potius, quam Patres a Pontifice compellati ſunt, quod vel ceteris notiores, aut ſi mavis, quod in Occidente præcipui ab omnibus haberentur: id quod, probabili cauſa contentus, nolim moroſius inveſtigare. Eruditiſſimus atque accuratiſſimus ſcriptor Joannes Mabillonius in *Præfatione generali* §. 2. ad Editionem novam *Operum S. Bernardi*, expendens titulum ejus, quo *inter Doctores mellifluus*, & *ultimus inter Patres* dicitur: *Doctoris*, inquit, *nomen Eccleſia his tribuit*,

* In *V. L.* 3. titul. *de reliquiis*, & *veneratione SS. cap. unico.*

** *Anno* 1754. 15. *Octobr.* Vid. *Bullarium.*

tribuit, quorum doctrina publico ipſius ſuffragio approbata eſt, maxime, ubi ſanctitatis concentus accedit: Patres vocat eos, quos ſanctitas, doctrina & antiquitas commendat. Doctrina, inquam, ſcripturæ & traditioni potius, quam rationibus philoſophicis inhærens. Mihi vero (Quod pace tanti viri dictum velim) cum Vincentio Lirinenſi * præter tria illa, integritatem vitæ ſcilicet, eruditionem, & antiquitatem adjunctam, illud quoque requiri videtur ab iis, quos Patres Eccleſia appellat, uti vel manſerint ſemper in fide, & communione catholica, vel certe ad eandem ante obitum adhuc reverſi fuerint. Et doctrinam quidem probatam cur deſideret Eccleſia, ea ipſa ſignificatione, ac nomine Patris, quod hic Magiſtrum, Paſtorem, Doctoremve ſonat, per ſe manifeſtum arbitror. Qui enim, obſecro, illi, qui recte ipſus non ſentiat, alios commiſerit inſtituendos? aut quomodo Deus per eos homines, qui ipſi aberrent, errorem auferat ceterorum? Sic ſane accidat, quod de Phariſæis Servator admonuit, ut, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant. Sed quid illis facias, qui ſanam licet, puriſſimamque doctrinam traderent populis, ſcriptis tamen eandem minime conſignarunt? Iſtis titulum quemcunque ſplendidiſſimum tribue, ſed Patres meo judicio non dicas, ut qui, quantumcunque olim præſtiterint, poſteros aliter non informarunt, quam recte factorum, dictorumque memoriam ad illos transmittendo. Et ſcite a Benedicto XIV. in *Conſtitutione de feſto S. Leonis* paulo ante laudata notatum eſt: *Hos vivæ tantum vocis officio præſentium ſibi populorum ſaluti conſuluiſſe: Patres vero & Doctores, peculiari ſapientiæ lumine Spiritus S. dono ditatos, doctiſſimis conſcriptis libris univerſam Eccleſiam inſtruere, & omnium ſæ-*

* *Commonitor. I. cap.* 39.

culorum poſteritatem in religione erudire. Æque neceſſaria eſt vitæ integritas Patri Eccleſiæ. Non enim, quos ſuper candelabrum Chriſtus poſuit, lucere ſolum, ſed etiam ardere voluit, id eſt: non exemplo minus, quam eruditione ceteris eminere. Et merito id quidem, ut teſtimonium plenum, idoneumque eſſet, ut majorem fidem invenirent, ut non ipſi ſcriptis ſuis primi contradicerent, docentes alia, & alia facientes. Sed & perſeverantia in fide, & communione catholica jure exigitur. Præterquam enim, quod ſanctitas quæcunque perſeverantia potiſſimum oſtendi debet, ſine qua vanæ ſunt omnes virtutes præteritæ: quomodo Eccleſia eos præceptores retineat, qui & a ſua, & propria ipſorum doctrina deſciverunt omnino? quomodo duces ſequatur, non deſertores ſolum, ſed transfugas, ſed hoſtes, qui ejuraſſe non contenti, gravius ſæpe omni externo hoſte eandem impugnarunt? Ultimo loco antiquitatem habere Patres debent; quod denuo cum ipſa notione Patris manifeſtum ſit, tum etiam uſu ita confirmatum eſt, ut, ſicut vini pretio contingit, ita ſcripta Patrum, quo antiquiora ea ſunt, eo meliora etiam, & pretioſiora ab omnibus exiſtimentur. Atque in hoc iterum differunt Doctores Eccleſiæ a Patribus Eccleſiæ. Etſi enim daremus, Patrem Eccleſiæ dici neminem poſſe, qui non & Doctor, ſeu Magiſter ejus ſit, non tamen idcirco & vice verſa, qui Doctor Eccleſiæ eſt, continuo & Pater Eccleſiæ compellatur. Quare idem Mabillonius *loc. cit.* rectiſſime ſcripſit: *Itaque Doctores appellari poſſunt ſtatim a morte viri ſancti, doctrina illuſtres: Patres vero non, niſi quos recepta jam dudum auctoritas venerabiles fecit, & modus tractandi res, a philoſophica ratione alienus.* Exemplum maxime obvium eſt in divo Thoma Aquinate, qui a Pio V., & divo Bonaventura, qui a Sixto V. titulum Doctoris Eccleſiæ tulit. Veniunt

uterque

uterque hoc nomine in ſcholis omnibus, ille *Angelici*, iſte *Seraphici* epitheto adjuncto: neque ulli tamen in mentem venerit, ut Patres eos appellet, quando nonniſi paucis admodum ſæculis remoti a nobis, cum cetera fere Patrum habeant omnia cumulatiſſime, ſenio tamen, & veluti canis quibusdam deſtituuntur. Licet autem, ut ad priora redeamus, difficile ſit, quatuor iſta ſimul in ſcriptore aliquo reperire, nihilominus præter ſupra laudatos, alii numero magno, & longiſſima ſerie accedunt, quibus horum omnium nihil defuit. Neque ullum ſcimus tam ferreum ſæculum, quo non aliquot ſaltem eorum prioribus ſufficeret Deus, ut copioſam Eccleſiæ ſobolem pararent, & futuris quoque temporibus, ſive ad hæreſes comprimendas, ſive mores formandos, publice & privatim adhiberentur.

His breviter quidem, ſed tamen, quantum ſatis ſit, ſtabilitis, quæ graviora inde moveri dubia poſſent, diſſolvenda ſunt.

CAPUT II.

Senſus alius laxior, quo hic Patres ſumuntur.

4. Atque illud quidem, quod de doctrina, ſanctitate, fidei conſtantia, & antiquitate univerſim diſputatum eſt, haud gravate omnes concedent. At in eo refragaturos mihi non paucos intelligo, quod hæc omnia in ſingulis requiram ego, atque veluti ex Chriſti ore dari mihi poſtulem, cum tamen ex uſu Eccleſiæ contraria omnia habeantur. Sentio enimvero, Tertullianum mihi objiciunt, Origenem, Euſebium item, quem Pamphili, ſeu Cæſarienſem dicunt, Dydimum denique, Ruffinum, & ſi quis alius præterea ejus eſt generis, quos Eccleſia, etſi pro Sanctis nunquam habuerit,

rit, neque etiam poſſit habere, inter Patres nihilominus, nec infimi ſubſellii magiſtros conſtanter numeraſſe videatur. Quid tu mihi, bone vir? ab Eccleſia inter Patres numeratos ain'? Iſtuc enimvero mea vita neque audiſſe me aliquando, neque etiam legiſſe memini. Vidi in Bibliothecis eadem claſſe, ſcriniisque iisdem locatos, queis Patres ſtabant. Audivi etiam pro concione, præſertim vero in ſcholis, promiſcue inter Patres allegari, utque nihil omnino diſſimulem, vidi apud eos omnes, qui Patrum indices & alphabeta edidere, permiſceri ubique cum Patribus, nulloque diſcrimine haberi. Sed aliud eſt, quod privato judicio & ſententia fit: aliud, quod ex auctoritate ea, quam Eccleſia hiſce in rebus interponit. Quod ſi ſcire cupis, quid de his, quos dixiſti, hominibus ſentiat Eccleſia, teſtes dabo ex omni retro antiquitate locupletiſſimos, quibus nec, cum maxime velis, tamen vel poſſis etiam refragari. Tertullianum quod attinet, quando de eo inferius paulo prolixior tractatio futura eſt, illud hic loci ſufficiat reſpondiſſe: eum, nondum ſenem, palam Montaniſtis aggregaſſe ſe, atque in eo globo perditorum ad decrepitam uſque ætatem non minori ardore pro ſomniis ſuis depugnaſſe, ac antea contra gentiles & hæreticos dimicaverat. Et quod peſſime me ſemper habuit, dum ſcripta incomparabilis viri meditarer (meditanda enim, non more aliorum legenda ſunt): neque apud ipſummet, neque apud editores ejus accuratiſſimos, neque in omni hiſtoria vel veſtigium reperire eſt, ex quo de mutata hominis mente ſpes ulla offeratur. Recte itaque, quod in rem præſentem facit, divus Hieronymus Helvidio, auctoritate ejus abutenti, repoſuit: *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Vel in *Apologia adverſus Ruffinum,* poſt med. *In Tertulliano laudamus ingenium,*

ſed

ſed damnamus hæreſin. * Sed & diu antea, quam Hieronymus ſcriberet, ejusdem patronos S. Hilarius repreſſit, dum ſimili fere laconiſmo dixit: *Conſequens error hominis detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem,* ** videlicet ſi non omnem, certe auctoritatem Patris.

De Origene idem fere pronunciandum eſt. Jam enim Magno Baſilio male de divino Spiritu ſenſiſſe viſus eſt. Epiphanius vero, & Hieronymus inter hæreticos illum recenſuere. Denique eidem non ſecus ac Ario, Eunomio, Macedonio, Neſtorio & Eutycheti, peſtilentiſſimis novatoribus, anathema dixit V. Synodus œcumenica, quæ altera vice Conſtantinopoli fuit celebrata. His Eccleſiæ ſententiis, ut alia prætercam, notatus paſſim, & damnatus Origenes profana etiam poteſtate, nominatim Edicto Juſtinianæo ſatis prolixo, ab Imperii finibus proſcriptus eſt. Nempe, uti ſapienter Caſſiodorus in *Inſtitut. ad divin. Lection. Cap.* 1. admonuit: *Ubi bene, nemo melius Origene: ubi male, nemo pejus.* Nec inconcinne de eodem Alexander Monachus, incertæ quidem ille ætatis, verum antiquus ſcriptor, in quem fortuito apud Gretſerum *Tom.* 2. *de Cruce* incidi: *Mille id genus blaſphemiarum effutiens, ſcriptisque ſuis intolerabilia quædam, & quæ dici nefas ſit, inferciens, infinitis mundum erroribus implevit.* *** Fuerit itaque Origenes ab infantia magnus juxta Hieronymum ingenio, eloquentia, & eruditione omnigena: floruerit præ aliis ſcriptoribus celebritate nominis: ob patientiam laboris, & pertinaciſſimum ſtudium *Adamantius* dictus ſit: amore caſtitatis, octavum & decimum annum necdum egreſſus, ſe ipſum exſecuerit: juxta Vincentium

* *Libro adverſus Helvidium, cap.* 9.
** In *Matthæum, canone* 5.
*** *Libro de Inventione S. Crucis.*

Lirinenſem nemo mortalium plura ſcripſerit, ut ejus omnia vix perlegi poſſe videantur; ex quo Platonis philoſophiam adamavit nimium, ejus quoque erroribus involutus eſt: adeo quidem, ut de pœnitentia, aut palinodia aliqua nihil uſpiam conſtet. Et mihi quidem dubitare ſubit, utrum ſcribendo plus utilitatis attulerit Eccleſiæ, an detrimenti. Quare damnatæ ſemper apud Catholicos memoriæ fuit, nec tot ad eum defendendum exacuti calami fœdiſſimam maculam hactenus propulſarunt: tantum abeſt, ut Patribus Origenes ab Eccleſia accenſeretur.

De Euſebio, Cæſarienſi Epiſcopo, minor adhuc controverſia eſt. Scriptor cetera luculentus & primi nominis, non Arianus ſolum fuit, ſed juxta Hieronymum ſignifer, ac princeps Arianorum. Nicænæ fidei manu ſolum, non item animo ſubſcripſit, aulam potius, quam Eccleſiam ſecutus, meliorque multo politicus, quam antiſtes, adulatione ac hypocriſi optimis quibusque, & ipſi præſertim magno Conſtantino impoſuit. At non idcirco & Eccleſiæ. Ejus enim auctoritatem Synodus œcumenica VII. penitus omnem rejecit, ut mirum proin ſit, eum tanti adhuc a quibusdam fieri. Hominem enim peſſimum a nonnullis etiam inter Sanctos cultum comperio: ſane pudendo errore, niſi fors nomine ſolum decepti ſunt, & Euſebium Cæſarienſem Euſebio Martyri ſuppoſuerunt.

Dydimus Alexandrinus, magna vir ſcientia, & eo magis miranda, quod libros plurimos, a puero cæcus, dictavit, famam, quam ſummam ubique habuit, Origenis erroribus maculavit; certe nec Hieronymi, diſcipuli ſui & æſtimatoris egregii, reprehenſionem idcirco effugit, & in V. generali Concilio cum reliqua turba Origeniſtarum publice damnatus eſt. De ſcriptore hoc vel ideo ſupervacuum eſt pluribus reſpondere, quod nihil de ejus lucu-

bratio-

brationibus ad nos pervenit, niſi libellus *de Spiritu ſancto*, inter Opera Hieronymi, qui latinum fecit: item in Bibliotheca Patrum *Expoſitio* perbrevis in *Epiſtolas canonicas*, & tenuiſſima pariter tractatio *in Manichœos*, Tomo 5. Henrici Caniſii.

Qui ultimo loco objectus eſt, Ruffinus, doctus ille quidem, & diu ſinceræ fidei ac probitatis: ſed Origenis amore immodico, quem fortaſſe in Ægyptiaca commoratione Dydimus ei affricuit, & ipſe transverſum eſt actus. Mox aliis quoque opinionibus, & Pelagianorum familiaritate corruptus magis, nusquam ſincerus interpres eorum, quæ latina fecerat, graviſſime abs vetere ante amico Hieronymo vapulavit. Et ſubſcripſit Hieronymo Anaſtaſius Papa, qui viventem, & Gelaſius, qui diu ante defunctum ſoleniore etiam ritu condemnavit. *

Atque ita palam eſt, quæ hucusque objecta ſunt, ſententiæ noſtræ, de quatuor illis dotibus, adeo nihil officere, ut eandem declarent magis. Dum enim Patres facere vis eos, qui ſancti catholicique non fuerunt, aut eſſe ceſſaverunt, velut aliud agens, exemplis etiam oſtendiſti, quod verbis pluribus tam clare ego non eram oſtenſurus. Cave ſis igitur, ne hos, uti & Tatianum, Novatianum &c. eodem numero cum ſanctis Cypriano, Caſſiano, Fauſto Rejenſi, aliisque vere dictis Patribus habeas. Iſtis enim, imo plerisque accidit, ut ceſpitarent aliquando. Nam & Chiliaſtæ aliqui fuerunt, alius animas per traducem propagari autumavit, alius cœli delicias ad judicii extremum diem diſtulit, & vix quisquam eſt, qui, ſi noſtra ætate viveret, quædam profecto aliter longe ſcripturus, & dicturus non erat. Sed nempe in re adhuc obſcura, certe illa ætate

* *Canone:* Sancta Romana. *Diſt.* 15. *ex Concilio* 70. *Epiſcoporum.*

ætate non definita, decepti ſunt: Illi in manifeſta, & de qua nemo in Eccleſia dubitabat, aberrarunt. Hallucinantur ergo omnes, & cæci ſunt, qui hos, horumque ſimiles alios in Catalogos, & ſubſellia Patrum hodieque intrudunt? Iſtuc enimvero abſit a me longiſſime, ut cogitem, nedum ſcribere, & perſuadere ceteris velim. Alius nempe præter eum, quem ſuperiori capite diximus, ſenſus ſupereſt in Patribus nominandis, laxior ille quidem, & minus accuratus, verus tamen, imo commodus perſæpe, atque auſim dicere, quem ipſa potiſſimum neceſſitas, metusque turbandi in ſcholas, cathedras, libroſque omnes invexit. Et quis ille demum laxior ſenſus eſt? Hic videlicet, ut illos quoſcunque demum Patres dicamus, qui unam, alteramvè ex memoratis conditionibus impleverunt, &, ſi ſanctitate non præſtabant, doctrina certe ſana, ſinceraque vel per tempus aliquod valuerunt, aut antiquitate ipſa venerabiles doctrinæ, traditionis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ teſtes idonei extiterunt. Multum ergo vel ſic juverunt Eccleſiam, & Patres ejus aliqua ſaltem ratione dici a nobis poſſunt. Mercatores mali ſunt: at antiquiſſimas, pretioſiſſimasque merces offerunt, & qui, errores vel vitia ſectando, offecerunt ſibi, lectoribus non poſſunt non quam plurimum prodeſſe. Atque hac ratione iterum alia plura velut unico ictu amputantur, quæ ex vario genere ſcriptorum eccleſiaſticorum objici adhuc poſſent. Donatiſtas ſecutus eſt Ticonius? Non nego. Sed regulæ ejus ab Auguſtino ipſo probatæ ſunt, aut, quod *libris de doctrina chriſtiana* eas inſeruit, etiam adoptatæ. Photius inaudito ſcelere, & fœdiſſimis artibus ſedem Conſtantinopolitanam bis invaſit, & horrendo ſchismate diſtraxit Eccleſiam? Ita ſane. Verum jam antea, quam ambitione corrumperetur, multa non catholice modo, ſed utiliter quoque, ac præclare ſcripſit:

ſcripſit: Criticus ac cenſor eſt graviſſimus, qui libros, quos ingenti numero legit, ſummo ingenio, judicio nihilo minore dijudicat. Fragmenta vero & excerpta, ſecus certo peritura, ea nobis ſervavit, ut magnorum virorum judicio armamentarium aliquod relinqueret Eccleſiæ, in quo omnis generis opes, ſpolia, & arma recondita ſunt, pro re nata eripienda illi e manibus, nec raro in eundem ipſum convertenda. Quid ergo vetat, cum perſonam oderis, & ſcelera execrere, ſcripta habere in pretio, & inter auctores noſtros hominem recenſere? Joannes Maxentius, ex monachis illis Scythiæ, quorum poſt Chalcedonenſe Concilium ad quæſtiones, & turbas movendas nota pervicacia eſt, fere præcipuus, ſuperbiam utique, & mordacitatem prodit in ſcriptis ſuis: at eruditus vir eſt, & verius Catholicus, quam Eutychianus, nonnullaque habet minime contemnenda, quæ proin & ipſa inter Patrum libros collocata ſunt. Sit Leo, *Philoſophus* dictus, iis moribus, qui neminem minus, quam Imperatorem decerent; faſtu ad ſcribendum appulerit animum, & auram popularem, non fructum ſpectaverit; in ipſa etiam dictione declamatorium quid, & vanum ſapiat: ſed ſæculi decimi initio cum ſcripſerit, multaque præclara afferat; quid prohibet, ut præſtantiſſimi viri fecerunt, ex his ſpinis uvas, ex his tribulis ficus colligere? Sed & Claudius, Taurinenſis Epiſcopus, Bibliothecæ Patrum inſeritur. Licet enim in Iconomachorum & Vigilantii hæreſin inciderit, fors errore magis, quam malitia lapſus (neque enim id conſtat) multa alia maxime catholica, nec pœnitenda conſcripſit, quorum cauſa ſacris potius, quam hæreticis ſcriptoribus jungeretur.

5. Major, imo unica difficultas circa Theophilum eſt, Alexandrinum Epiſcopum; qui cum a fide deflexerit nunquam, & alias celebritatem in Ec-

cleſia magnam invenerit, humani tamen haud parum eſt paſſus. Et S. quidem Iſidorus Peluſiota *Libr.* I. *Epiſt.* 152. præter alia acriter in eum dicta avaritiæ hominem poſtulat. Inſuper apud omnes in confeſſo eſt, quod in perſequendo divo Chryſoſtomo ducem ſe præbuerit ceteris, nec ante conquieverit, dum virum integerrimum dejeciſſet e ſede ſua, & ſolum vertere coëgiſſet. Et tamen is ipſe Theophilus eſt, qui in Synodis III. & V. œcumenicis * proprio, ſtrictoque ſenſu SS. Patribus, & quidem præcipuis annumeratur. Quidquid alii hac in re ſtatuant; ** ego ita pronuntio, Theophilum, ut cetera abſint omnia, in Chryſoſtomi cauſa graviſſime lapſum, reſpexiſſe tamen ſe demum, labemque in vita contractam ante obitum ſaltem exterſiſſe. Equidem Innocentio Papæ circa Chryſoſtomum in Diptycha referendum, dum viveret, ſemper repugnavit: nihilominus pœnitentiam ejus extremam, plura ſane ſunt, quæ mihi perſuadeant. Et primo quidem ex Cotelerio conſtat, Theophilum de itinere æternitatis ineundo valde ſolicitum extitiſſe. *** Secundo, Syneſius *Epiſtol.* 66. eundem memorat, Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano auctorem fuiſſe, uti benigne ſuſciperet eos, qui Joanni adhæſiſſent. Tertio, S. Damaſcenus *Oratione* 3. *de Imaginib.* Theophilum narrat non potuiſſe animam agere, donec allatam Chryſoſtomi imaginem veneratus eſſet: allegatque teſtem *Deſcriptionem temporis Iſidori Diaconi*, incogniti quidem ſcriptoris, qui tamen ideo indignus non

* Vide *Concilium Epheſin. Parte* 2. *Actione* I. Ubi teſtimonia PP. recitantur, & *Conſtantinop. II. Collat.* 3. ad finem.

** *Tillemontius* ſcilicet, ac *Dupinus*, quos ideo parum moror, quod ſæpius, nec paulo gravioribus in rebus ambo exorbitarunt.

*** *Tomo* I. *Monumentor. Eccleſiæ græcæ*, *pag.* 465.

non debet cenſeri, ut a Damaſceno allegaretur. Quarto denique, ipſi Latini, quamquam a Chryſoſtomo omnes ſtarent, in Synodo tamen, ſub Gelaſio habita * & beatum dixerunt ipſum Theophilum, & opuſcula ejus vehementer commendarunt. Vincentius item Lirinenſis *Common. II. c.* 2. & Leo M. *Epiſt.* 52. 64. 65. nunc 102. 120. 122. honorifice illius meminerunt. ** Et hoc facturos eós fuiſſe, ſi de mutata hominis mente non conſtitiſſet? id ut credam, nemo me adducet. *** Itaque præſul, coævis ſcriptoribus Hieronymo, Syneſio, aliisque tam laudatus, ob partas juſte opes, cauſamque Chryſoſtomi, cui zelus obtendebatur, privandus non eſt fama probitatis ante collecta. Nam & S. Epiphanius, quem graviſſimis Patribus ſemper accenſuit Eccleſia, in eadem (quod dicunt) navi fuit, &, dum vixit, Joannem inſectatus eſt, Theophilumque ſecutus. Nempe Patres eſſe poſſunt, quin ceſſent homines eſſe; & aliud eſt errore labi, aliud malitia, aut etiam obſtinatione peccare. Si cui hæc minus ſatisfaciunt, Theophilum altero laxiore ſenſu Patrem dicat. Exemplo enim non uno habemus, Concilia, uti ſuppoſititia, ita illa etiam allegaſſe, quæ minus probatos auctores habent. Neque obeſt præfatio ſanctitatis, quando Græci majoribus præſertim præſulibus, qualis Theophilus fuit, adhuc viventibus eum titulum tribuebant; haud ſecus atque nos ſummum Pontificem,

* Apud *Labbeum, Tom.* 4. *colum.* 1262.

** Plura elogia colligit *Tillemontius, Tom. XI. Monum. art.* 21.

*** Circa *Tillemontii* metum, ne, dum *Theophilus* excuſatur, ſucceſſor ejus & nepos *S. Cyrillus* accuſetur, ſex, ſeptemve annis a morte avunculi pergens *Chryſoſtomi* famæ repugnare, lege *Stiltinghum, XIV. Septemb.* in *vit. S. Chryſoſt.* §. 87.

tificem, eum quoque, cui humanitus multa acciderunt, *ſanctiſſimum* ſolemus compellare. *

6. Sed opus non eſt, hac in re nos eſſe longiores. Ad alios tranſeo vicinorum ſcilicet ſæculorum, ſanctiſſimos magno numero, & ſapientiſſimos ſcriptores. Hi quo minus Patribus accenſeri poſſint, diſpar quidem, ſed non levis ratio eſt. Canitie ſcilicet deſtituuntur, quod ætas eorum tanta non eſt, ut quaſi infantem adhuc, aut certe adoleſcentem Eccleſiam alere, doctrinaque ſua, & exemplis formare potuiſſent. Cum enim ipſi ſcriberent, adulta dudum erat, (& ut ſic dicam) præcedentium cura eo jam provecta, ut ſequentium præſidiis jam non magnopere indigeret. Utcunque alii reſpondeant; ego hanc facillimam video viam eſſe, qua difficultati, ſi qua eſt, occurri poſſit: ut velut minorum gentium Patres, per *ampliationem* ſcilicet, & catachreſin eos appellemus. Sic enim, etſi ſecundo tantum gradu conſiſtant, auctoritatem retinent nihilominus, nec Patrum numero excluduntur, quorum quaſi agmen claudunt. At unde rogas, & a quo tempore hos ſecundi ordinis Patres numerare, & recenſere incipimus? Si heterodoxos audimus, plerique eorum terminum Patribus figunt initium ſeptimi ſæculi, quo S. Gregorius, ob rerum geſtarum gloriam Magnus a Græcis Latiniſque dictus, Eccleſiæ exortus eſt. Qua ſane ratione ſummi quique Doctores, & de religione præclare omnino meriti S. Sophronius, S. Iſidorus Hiſpalenſis, S. Maximus Martyr, S. Ildephonſus, S. Germanus, S. Joannes Damaſcenus, vene-

* Videat Lector, quæ *Theophilus Raynaudus Tom.* 8. *Opuſc.* 5. *Sect.* 2. *Puncto* 3. de *Theophilis* habet, *in ſpe bona progreſſis, ſed absque indubia ſanctitate.* Item *Dumesnil Libro XI. Hiſtoriæ de doctr. & diſcipl. Eccl.* ad finem: Et in ſimili fere cauſa *Thomaſſinus Eccl. diſcipl. Part. I. Libro I. Cap.* 11.

venerabilis Beda, S. Nicephorus, S. Theodorus Studita, aliique plurimi non inofficioſe tantum, ſed temeritate, atque impudentia ſingulari a PP. proprie dictorum cœtu exeſſe juberentur. Neque id eos juvat, quod ipſe Anaſtaſius Sinaita jam diu ante Patres deſiiſſe in Eccleſia affirmaverit. Verum eſt, quod *cap.* 7. *Viæ Ducis* S. Cyrillum Alexandrinum, cui plurimum ſolet tribuere, *omnium Patrum ſignaculum* appellet. At non iſtuc voluit celeberrimus ſcriptor, neque ea mente ſignaculum vocitavit, quod ſcilicet ultimum abſolutæ jam rei apprimitur, ſed illo longiſſime diverſo, quod, quæ ante ſcripta ſunt ab aliis, rata habet omnia, iisque ſecuritatem quaſi, & vadimonium præſtat. Profecto enim Cyrillus anteriorum Patrum de Myſterio Incarnationis doctrinam tanquam appreſſo ſigillo firmavit, ac communivit. Atqui hic ſenſus verborum ejus mihi non ſolum æque naturalis videtur, ſed ex ipſa ſermonis ſerie, totoque contextu, quem dicunt, manifeſte apparet. Alii itaque, & quidem haud paulo plures ſanctum Bernardum Gregorio Magno ſubſtituunt, qui propterea paſſim honoris cauſa *Patrum noviſſimus*, aut etiam *poſthumus* dici a ſcriptoribus conſuevit. *

7. Sunt demum alii, & nec ipſi pauci numero, qui omnes illos Patrum numero complexos volunt, qui ante Magiſtrum ſententiarum, inductamque in ſcholas noſtras ſubtilitatem floruere. Sentiat per me Lector, quibuscum ipſi libuerit, modo iſtuc dare mihi non gravetur, ſenſu paulo ante explicato, ac latiſſimo ita eos dici. Quod ſi conceſſum ſit mihi, nihil uſpiam refragabor; imo ad propiora nobis tempora Patres protrahant, per me ſemper licebit.

* Titulum *Patris* egregie ipſi vendicat Mabillonius *Præfat. generali operum* ſupra allegata, & *loco eodem.*

licebit. Et hæc ipſa eſt cauſa, cur in hoc ordine virorum, quando ad Paradigmata, locosque e Patribus ſelectiores ventum erit, aliqua ex quarti decimi, aut poſteriorum etiam ſæculorum auctoribus tranſcribam, quæ ſpero, non ſine fructu, atque etiam voluptate vel a diſertis hominibus eſſe legenda. Illud enim apud me retractabam animo, hos omnes priſcorum non imitatores modo extitiſſe, ſed & illud Gregorii Nyſſeni in fratris ſui Baſilii tum recente adhuc memoria eleganter dictum uſurpari de iis jure poſſe, *quod ſecundas eis poſt antiquos Patres ſolum tempus dederit.* *

Scimus nunc, quod primo loco oſtendendum fuit, quinam Patrum nomine veniant. Erunt ergo, qui id quoque veluti jure quodam a me exigant, ut ſingillatim omnes ordine ſæculorum, ut quisque vixit, deceſſitve, apponam. Equidem id Criticorum potius officium eſt. Ego enim, qui unice ad Eloquentiam Patrum reſtrinxi calamum, præterquam, quod a via, quam inſtitueram, diverterem non nihil, viderer aliquibus ea afferre cum magna operis acceſſione, quæ jam alii ante me haud paulo diligentius, fuſiusque pertractarunt. Denique longiſſimum mihi iter reſtare cum videam, quantum licet, feſtinare ad ulteriora debeo, non alienum laborem ſponte accerſere. Sed nempe amicorum conſilio, quorum cauſa, uti alia omnia libenter facio, ita & hic cedendum denique fuit; præſertim quod oſtenderent, rem hanc & ſine tricis fieri poſſe, & ad operis integritatem, perfectionemque ipſam aliquomodo pertinere.

DIS-

* In *Monodia.*

DISSERTATIO II.

De numero & ordine Patrum,
ſeu
quot illi Patres, qualesque ſint.

8. Tria hic mihi ſtudioſe præmonenda ſunt. Et primo qnidem me Catalogum accuratum quidem ac plenum, non vero copioſiſſimum, & abſolutiſſimum contexuiſſe; potius plures, quos in aliorum tabulis reperias ſive græcos, ſive latinos Patres data opera omittendos putavi; cum pleriſque inutilem, mihi vero intolerabilem moleſtiam in argumento ſumerem, quod alias inexhauſtum fere, & innumeris perplexitatibus undique obſeptum eſt. Parum dixi: ſi celebrem criticum audiamus, non modo patientiam ea res, ſed vires quoque exhaurit. Quin & de his, qui vitam huic operi conſecrarunt, dubitari hodieque poteſt, an non multos omiſerint, dum volunt omnes recenſere. Tantus eſt exercitus, quem luſtrare, tam variæ copiæ, quarum inire numerum oportet, maxime altera illa ampliſſima ſignificatione, quæ ſcriptores eccleſiaſticos quoscunque ad ultima fere tempora complectitur. Recidendos itaque duxi omnes illos, qui præter *Canones, Chronica, Annales, vitasque Sanctorum* nihil admodum ſcripſere, & quorum vel fragmenta ſolum extant, vel non niſi ſuppoſititia quædam circumferuntur. Sed & illos fere omiſi, de quibus ſolum Epiſtolam aliquam, tenuemve tractatiunculam habemus: niſi forte ejusmodi fuerint, ut aliunde celebritatem invenerint, magnamque laudem ſint conſecuti. Alterum, quod prænoſſe lectores oportet, iſtuc eſt, deſtinaſſe me quidem animo, ut, quemadmodum pleroſque alios feciſſe videbam, cuique au-

ctorum diem obitus adſcriberem. At ubi eam ob rem haud parum tricatus eram cum Criticorum turba, quorum unus illam, alter iſtam aſſignat ingenti diverſitate, mutavi plane ſententiam, certus, actum me agere, dum nonniſi privatas opiniones obtrudo legentibus, qui alias reſcire multo magis cuperent, quo quis tempore ſcripſerit, quam quo ſcribere, aut omnino vivere deſierit. Sola igitur ſæculi, quo quisque floruit, ratione habita, epocham mortis penitus neglexi, contentus ad calcem referre, unde quis per ſe ipſe inveſtigare, ac cognoſcere poſſit, quo anno obierint ſinguli diem ſuum, fatoque conceſſerint.

CAPUT I.

Exhibetur accurata recenſione ordo chronologicus Patrum latinorum.

Saeculo I.

9. Nihil præter fragmenta, aut apocrypha quædam ab hujus ſæculi latinis Patribus habemus; & ipſe divus CLEMENS Romanus pauciſſima, quæ ejus cenſentur, græco non latino ſermone conſcripſit, ac proin ſequenti primum, non iſto capite collocandus venit.

Saeculo II.

Scripſit SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, *Presbyter Carthaginenſis.*

Saeculo III.

MINUTIUS FELIX, *Cauſidicus Romanus.*
S. CORNELIUS, *Pontifex Romanus.*
S. CYPRIANUS, *Epiſcopus Carthaginenſis, Martyr.*
NOVATIANUS, poſtea *primus Antipapa, auctorque Catharorum.*

Saecu-

Saeculo IV.

S. VICTORINUS, *Epiſcopus Petabionenſis*, & *Martyr.*

ARNOBIUS, *Rhetor*, *Præceptor Lactantii.*

L. COELIUS LACTANTIUS FIRMIANUS, *Rhetor*, & *Criſpi Cæſaris*, *filii Conſtantini Magni*, *Præceptor.*

COMMODIANUS, *Philoſophus Chriſtianus.*

C. VECTIUS JUVENCUS, nobiliſſimus Hiſpanus, *Presbyter* & *Poëta.*

JULIUS FIRMICUS MATERNUS, *Philoſophus Chriſtianus.*

S. EUSEBIUS, *Epiſcopus Vercellenſis.*

S. HILARIUS, *Epiſcopus Pictavienſis.*

S. ZENO, *Epiſcopus Veronenſis.*

S. PHOEBADIUS, quem alii SOEBADIUM quoque ſcribunt, *Epiſcopus Aginnenſis.*

FABIUS MARIUS VICTORINUS, Afer, *Rhetor Chriſtianus.*

S. OPTATUS, *Milevitanus Epiſcopus.*

LUCIFER, *Calaritanus Epiſcopus.*

S. PACIANUS, *Barcinonenſis Epiſcopus.*

IDACIUS CLARUS, Hiſpanus; quis fuerit, certo non conſtat.

S. PHILASTRIUS, *Epiſcopus Brixienſis.*

S. DAMASUS, *Papa.*

HILARIUS DIACONUS, *Sardus* a patria dictus.

FAUSTNUS DIACONUS, cujus Eccleſiæ, neſcitur.

TICONIUS, Afer, *Donatiſta.*

S. AMBROSIUS, *Archiepiſcopus Mediolanenſis.*

S. HIERONYMUS, *Presbyter* & *Monachus.*

Saeculo V.

RUFFINUS TORANIUS, *Presbyter* & *Monachus.*

S. GAUDENTIUS, *Epiſcopus Brixienſis.*

S. CHROMATIUS, *Epiſcopus Aquilejenſis.*

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS, nobiliſſimus Hiſpanus *Poëta.*

SEVERUS SULPITIUS, *S. Martini diſcipulus, Presbyter.*

EVODIUS, *Uzalenſis Epiſcopus.*

ISAAC, ex *Judæo Chriſtianus.*

S. AUGUSTINUS, *Epiſcopus Hipponis Regii.*

CAPREOLUS, *Epiſcopus Carthaginenſis.*

S. PAULINUS, *Epiſcopus Nolanus.*

MARIUS MERCATOR, *Laicus, S. Auguſtini familiaris.*

PHILIPPUS PRESBYTER, *diſcipulus S. Hieronymi.*

BACCHIANUS, *Presbyter Hibernus.*

FASTIDIUS, *Epiſcopus Britannorum.*

CLAUDIUS MARIUS VICTOR, *Rhetor & Poëta Maſſilienſis.*

COELIUS SEDULIUS, *Poëta Chriſtianus.*

PAULUS OROSIUS, *Presbyter Hiſpanus, S. Auguſtini diſcipulus.*

DRACONTIUS, *Presbyter, Hiſpanus Poëta.*

JOANNES CASSIANUS, *S. Chryſoſtomi Diaconus,* poſt *Monachus.* Ponitur inter *latinos*, quod *collationes* latine ſcripſit, cetera autem verius græce.

S. VINCENTIUS LIRINENSIS, *Monachus & Presbyter.*

S. HILARIUS, *Arelatenſis Epiſcopus.*

S. EUCHERIUS, *Lugdunenſis Archiepiſpus.* Idem mihi cum *Euſebio Gallicano.*

S. PETRUS CHRYSOLOGUS, *Archiepiſcopus Ravennas.*

S. SALONIUS, *S. Eucherii filius*, & ipſe *Epiſcopus*, ſed ignotæ hactenus ſedis.

S. VALERIANUS, *Cimelienſis Epiſcopus, S. Salonii frater.*

S. PROSPER, *Aquitanus laicus.*

ARNOBIUS JUNIOR, de cujus conditione nihil certi habetur.

Auctor *Prædeſtinati* ANONYMUS.

S. FAU-

S. FAUSTUS, *Rejenſis Epiſcopus.*
CLAUDIANUS MAMERTUS, *S. Mamerti, Epiſcopi Viennenſis* fratris ſui, *Chorepiſcopus*, ſive *Vicarius generalis*, ut nos dicimus.
Creditus falſo SIXTUS III. *Papa.*
S. LEO MAGNUS. *Papa.*
S. MAXIMUS, *Taurinenſis Epiſcopus.*
S. GELASIUS, *Papa.*
S. SIDONIUS APOLLINARIUS, *Epiſcopus Claromontanus.*
SALVIANUS, *Presbyter Maſſilienſis.*
CEREALIS, *Epiſcopus Caſtulenſis.*
S. EUGENIUS, *Epiſcopus Carthaginenſis.*
GENNADIUS, *Presbyter Maſſilienſis.*

SAECULO VI.

VICTOR, *Epiſcopus Cartennenſis.*
JULIANUS POMOERIUS, apud *Arelaten Abbas.*
RURICIUS, *Epiſcopus Lemovicenſis.*
VENANTIUS FORTUNATUS, *Epiſcopus Pictavienſis.*
PASCHASIUS, *Diaconus Romanus*, niſi potius ad S. *Fauſtum Rejenſem* ejus ſcripta pertinent.
ALCIMUS ECDICIUS AVITUS, *Archiepiſcopus Viennenſis.*
S. ENNODIUS, *Epiſcopus Ticinenſis.*
SEVERINUS BOETHIUS, *Conſul Romanus.*
DIONYSIUS EXIGUUS, Scytha, *Abbas Monaſterii Romani.*
MONTANUS, *Epiſcopus Toletanus.*
S. REMIGIUS, *Epiſcopus Rhemenſis.*
S. FULGENTIUS, *Epiſcopus Ruſpenſis.*
FERRANDUS, *Diaconus*, hujus *diſcipulus.*
PETRUS, *Diaconus græcus.*
S. ELEUTHERIUS, *Epiſcopus Tornacenſis, Martyr.*
S. JUSTUS, *Orgelitanus Epiſcopus.*

ARATOR, ex comite *Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus*, *Poëta.*

S. CÆSARIUS, *Epiſcopus Arelatenſis.*

VIGILIUS, *Epiſcopus Tapſenſis.*

VICTOR, *Epiſcopus Capuanus.*

RUSTICUS, *Romanæ Eccleſiæ Diaconus.*

PRIMASIUS, *Epiſcopus Adrumetinus.*

JUNILIUS, *Epiſcopus Africanus*, ignotæ ſedis.

LIBERATUS, *Archidiaconus Carthaginenſis.*

FACUNDUS, *Hermianenſis Epiſcopus.*

MARCUS AURELIUS CASSIODORUS, *Conſul Roman. & Regibus Theodorico & Athalarico a ſecretis.*

NICETIUS, *Epiſcopus Trevirenſis.*

VICTOR, *Epiſcopus Tunonenſis*, cujus etiam juxta aliquos ſunt libri *Victoris Cartennenſis* ſupra nominati.

S. MARTINUS, *Epiſcopus Bracarenſis*, dictus etiam *Dumienſis.*

S. GILDAS SAPIENS, *Presbyter Britannus.*

S. GREGORIUS, *Epiſcopus Turonenſis.*

S. LEANDER, *Epiſcopus Hiſpalenſis.*

SAECULO VII.

S. GREGORIUS MAGNUS, *Papa.*

S. COLUMBANUS, *Abbas.*

CUMIANUS, *Epiſcopus Hiberniæ.*

S. ISIDORUS, *Epiſcopus Hiſpalenſis.*

APONIUS quidam, de quo præter nomen, & ſcripta nihil conſtat.

S. DESIDERIUS, *Epiſcopus Cadurcenſis.*

BERENGOSUS, *Abbas S. Maximini prope Treviros.*

S. ELIGIUS, *Epiſcopus Noviomenſis.*

S. MARTINUS I *Papa.*

S. ILDEPHONSUS, *Archiepiſcopus Toletanus.*

S. JULIANUS, *Archiepiſcopus* itidem *Toletanus.*

SAECU-

SAECULO VIII.

ADELHELMUS, ſive ADELMUS, *Epiſcopus Schireburgenſis.*
VENERABILIS BEDA, *Benedictinus Anglus.*
S. BONIFACIUS, *Germaniæ Apoſtolus & Archiepiſcopus Moguntinus, Martyr.*
PAULINUS, *Aquilejenſis Epiſcopus.*
FLACCUS ALBINUS, ſeu ALCUINUS, *Diaconus, Præceptor Caroli Magni.*
S. ETHERIUS, *Epiſcopus Uxamenſis.*
S. BEATUS, *Presbyter & Monachus Hiſpanus.*
AMBROSIUS AUTBERTUS, *Abbas ad fontes vulturni.*
LEIDRADUS, *Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
ODILBERTUS, *Archiepiſcopus Mediolanenſis.*

SAECULO IX.

HALITGARIUS, *Epiſcopus Cameracenſis & Atrebatenſis.*
DUNGALUS, *Diaconus & Monachus S. Dionyſii.*
SEDULIUS JUNIOR, *Interpres ſcripturæ.*
AMALARIUS FORTUNATUS, *Archiepiſcopus Trevirenſis.*
THEODULFUS, *Epiſcopus Aurelianenſis.*
SMARAGDUS, *Abbas S. Michaelis ad Moſam, Ord. S. Bened.*
CLAUDIUS, *Epiſcopus Taurinenſis.*
S. AGOBARDUS, *Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
JONAS, *Epiſcopus Aurelianenſis.*
S. PASCHASIUS RADBERTUS, *Corbeienſis in in Gallia* (non Saxonia) *Abbas.*
S. BENEDICTUS, *Ananienſis Abbas.*
AMOLO, *Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
FLORUS MAGISTER, *Diaconus Lugdunenſis.*
HAYMO, *Epiſcopus Halberſtadienſis.*

LUPUS SERVATUS, *Abbas Ferrarienſis.*
RABANUS MAURUS, *Archiepiſcopus Moguntinus.*
ANGELOMUS, *Monachus & Diaconus Luxovienſis.*
WALAFRIDUS STRABO (mihi idem cum STRABO. FULDENS.) *Abbas Augiæ divitis.*
S. PRUDENTIUS, *Trecenſis*, ſeu *Tricaſſinus Epiſcopus.*
RATRAMNUS, *Monachus Corbejenſis*, *S. Paſchaſii diſcipulus.*
S. REMIGIUS, *Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
S. EULOGIUS, *Presbyter Cordubenſis*, *Martyr.*
ANASTASIUS, *Bibliothecarius Romanus*, *Abbas.*
CHRISTIANUS DRUTMARUS, *Monachus & Presbyter Gallus.*
HINCMARUS, *Archiepiſcopus Rhemenſis.*
S. ABO, *Abbas Floriacenſis*, *Martyr.*
REMIGIUS, *Monachus Antiſiodorenſis.*

SAECULO X.

ADREVALDUS, *Floriacenſis Monachus.*
REGINO, *Prumienſis Abbas.*
ODO, *Cluniacenſis Abbas.*
RATHERIUS, *Epiſcopus Veronenſis.*
ATTO, *Epiſcopus Vercellenſis.*
SYLVESTER II. *Papa.*

SAECULO XI.

FULBERTUS, *Epiſcopus Carnotenſis.*
S. ODILO, *Abbas Cluniacenſis.*
S. BRUNO, *Epiſcopus Herbipolenſis.*
HUGO, *Epiſcopus Lingonenſis.*
S. LEO IX. *Papa.*
HUMBERTUS, *Cardinalis.*
ADELMANNUS, *Epiſcopus Brixienſis.*
DURANDUS, *Abbas Troarnenſis.*

S. GRE-

S. GREGORIUS VII. *Papa*, auctor *Commentarior. in Pſalmos pœnitentiales*, hactenus *Gregorio Magno* tributorum.

S. PETRUS DAMIANI, *Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.*

GUITMUNDUS, *Averſanus Epiſcopus & Cardinalis.*

LANTFRANCUS, *Archiepiſcopus Cantuarienſis.*

SAMUEL CHAROCCHIANUS, ex docto *Judæo chriſtianus.*

SAECULO XII.

S. BRUNO, *Fundator Carthuſianorum.*

RADULPHUS ARDENS, *Presbyter Pictavienſis.*

FRANCO, *Affliginenſis Abbas.*

S. ANSELMUS, *Archiepiſcopus Cantuarienſis.*

EADMERUS, *Epiſcopus S. Andreæ in Scotia.*

ODO, *Epiſcopus Cameracenſis.*

S. IVO, *Epiſcopus Carnotenſis.*

RODOLPHUS, *Abbas S. Trudonis.*

ANSELMUS, *Laudunenſis Scholaſticus.*

S. BRUNO, *Epiſcopus Signienſis*, qui & *Aſtenſis* ſolet appellari.

GUIBERTUS, *Abbas Novigentinus.*

PETRUS DIACONUS, *Caſſinenſis Monachus.*

HERVÆUS, *Dolenſis Monachus.*

HONORIUS, *Auguſtodunenſis Presbyter.*

GOFFRIDUS vel GAUFRIDUS, *Vindocinenſis Abbas*, poſt *Cardinalis.*

HILDEBERTUS, *Epiſcopus Cenomanenſis*, poſt *Turonenſis Archiepiſcopus.*

ALGERUS, ex *Leodienſi Scholaſtico Monachus Benedictinus.*

GUILIELMUS, DE CAMPELLIS, *Epiſcopus Catalanenſis.*

GILLEBERTUS, *Abbas Weſtmonaſterienſis*, *S. Anſelmi diſcipulus.*

S. RU-

LUPUS SERVATUS, *Abbas Ferrarienſis.*
RABANUS MAURUS, *Archiepiſcopus Moguntinus.*
ANGELOMUS, *Monachus & Diaconus Luxovienſis.*
WALAFRIDUS STRABO (mihi idem cum STRABO. FULDENS.) *Abbas Augiæ divitis.*
S. PRUDENTIUS, *Trecenſis*, ſeu *Tricaſſinus Epiſcopus.*
RATRAMNUS, *Monachus Corbejenſis*, *S. Paſchaſii diſcipulus.*
S. REMIGIUS, *Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
S. EULOGIUS, *Presbyter Cordubenſis*, *Martyr.*
ANASTASIUS, *Bibliothecarius Romanus*, *Abbas.*
CHRISTIANUS DRUTMARUS, *Monachus & Presbyter Gallus.*
HINCMARUS, *Archiepiſcopus Rhemenſis.*
S. ABO, *Abbas Floriacenſis*, *Martyr.*
REMIGIUS, *Monachus Antiſiodorenſis.*

SAECULO X.

ADREVALDUS, *Floriacenſis Monachus.*
REGINO, *Prumienſis Abbas.*
ODO, *Cluniacenſis Abbas.*
RATHERIUS, *Epiſcopus Veronenſis.*
ATTO, *Epiſcopus Vercellenſis.*
SYLVESTER II. *Papa.*

SAECULO XI.

FULBERTUS, *Epiſcopus Carnotenſis.*
S. ODILO, *Abbas Cluniacenſis.*
S. BRUNO, *Epiſcopus Herbipolenſis.*
HUGO, *Epiſcopus Lingonenſis.*
S. LEO IX. *Papa.*
HUMBERTUS, *Cardinalis.*
ADELMANNUS, *Epiſcopus Brixienſis.*
DURANDUS, *Abbas Troarnenſis.*

S. GRE-

S. GREGORIUS VII. *Papa*, auctor *Commentarior. in Pſalmos pœnitentiales*, hactenus *Gregorio Magno* tributorum.

S. PETRUS DAMIANI, *Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.*

GUITMUNDUS, *Averſanus Epiſcopus & Cardinalis.*

LANTFRANCUS, *Archiepiſcopus Cantuarienſis.*

SAMUEL CHAROCCHIANUS, ex docto *Judæo chriſtianus.*

SAECULO XII.

S. BRUNO, *Fundator Carthuſianorum.*

RAOULPHUS ARDENS, *Presbyter Pictavienſis.*

FRANCO, *Affliginenſis Abbas.*

S. ANSELMUS, *Archiepiſcopus Cantuarienſis.*

EADMERUS, *Epiſcopus S. Andreæ in Scotia.*

ODO, *Epiſcopus Cameracenſis.*

S. IVO, *Epiſcopus Carnotenſis.*

RODOLPHUS, *Abbas S. Trudonis.*

ANSELMUS, *Laudunenſis Scholaſticus.*

S. BRUNO, *Epiſcopus Signienſis*, qui & *Aſtenſis* ſolet appellari.

GUIBERTUS, *Abbas Novigentinus.*

PETRUS DIACONUS, *Caſſinenſis Monachus.*

HERVÆUS, *Dolenſis Monachus.*

HONORIUS, *Auguſtodunenſis Presbyter.*

GOFFRIDUS vel GAUFRIDUS, *Vindocinenſis Abbas*, poſt *Cardinalis.*

HILDEBERTUS, *Epiſcopus Cenomanenſis*, poſt *Turonenſis Archiepiſcopus.*

ALGERUS, ex *Leodienſi Scholaſtico Monachus Benedictinus.*

GUILIELMUS, DE CAMPELLIS, *Epiſcopus Catalanenſis.*

GILLEBERTUS, *Abbas Weſtmonaſterienſis, S. Anſelmi diſcipulus.*

S. RU-

S. RUPERTUS, *Tuitienſis Abbas.*
HUGO A S. VICTORE, *Canonicus regularis.*
S. BERNARDUS, *Abbas Claraevallis.*

Atque hic quidem finem facio, nullum ſecus inventurus. Sed demus id honoris cauſa S. Bernardo, uti comites illi, maxime Abbates, addantur, qui licet haud paſſibus æquis ſequantur, poſt intervallum tamen ejus latera ſtipent. Nam & id ad gloriam tanti viri haud vulgarem facit, in ea tempora incidiſſe, quæ præ anterioribus omnibus, præſertim ex ordine monaſtico piiſſimos juxta, & eloquentiſſimos ſcriptores tulerunt. Tales porro ſunt:

PETRUS VENERABILIS, *Abbas Cluniacenſis.*
GUILIELMUS, *Abbas S. Theodorici.*
GUERRICUS, *Abbas Igniacenſis.*
ANSELMUS, *Epiſcopus Havelburgenſis.*
ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS, *Præmonſtratenſis.*
RADULPHUS, *Flaviacenſis Monachus*, qui & *Niger* dictus eſt.
ARNOLDUS, *Abbas bonæ vallis*, *Carnotenſis* quoque a diœceſi dictus.
IRIMBERTUS, *Abbas Admontenſis.*
AELREDUS, *Abbas Rievallenſis.*
GAUFRIDUS, *Abbas Igniacenſis.*
RICHARDUS A S. VICTORE, *Canonicus regularis.*
HUGO ETHERIANUS, *Thuſcus*, doctiſſimus laicus.
POTHO, *Prumienſis Monachus & Presbyter.*
PHILIPPUS, *Abbas bonæ ſpei.*
B. AMEDEUS, *Epiſcopus Lauſannenſis.*
S. THOMAS, *Archiepiſcopus Cantuarienſis, Martyr.*
ECBERTUS, *Abbas Schönaugienſis, S. Eliſabethæ Schönaugienſis frater.*
ARNULPHUS, *Epiſcopus Lexovienſis.*

JOAN-

JOANNES SARISBERIENSIS, *Epiſcopus Carnotenſis.*
PETRUS, *Abbas Cellenſis.*
PETRUS BLESENSIS, *Archidiaconus Bathonienſis.*
ADAMUS, *Abbas de Perſennia.*
LUCAS, *Epiſcopus Tudenſis.*
RICHARDUS A S. LAURENTIO, *Canonicus & Archidiaconus Rhotomagenſis.* &c. &c.

Atque ita expeditis utcunque Patribus latinis, volente Deo, ad græcos jam convertimur. Horum autem nomine ego hic loci Syros quoque accipio, pauculos illos, & qui non niſi per græcorum manus ad nos pervenerunt.

CAPUT II.

Exhibetur eadem ratione ordo Patrum græcorum.

SAECULO I.

10. Ex græcis ſcripſerunt S. HERMAS, *diſcipulus S. Pauli.*
S. CLEMENS ROMANUS, *Papa.*
S. IGNATIUS, *Epiſcopus Antiochenus.*
S. DIONYSIUS AREOPAGITA, ſi tamen ipſe eſt.

SAECULO II.

S. JUSTINUS PHILOSOPHUS, *Martyr.*
S. POLYCARPUS, *Epiſcopus Smyrnenſis, Martyr.*
THEOPHILUS, *Epiſcopus Antiochenus.*
ATHENAGORAS, *Philoſophus chriſtianus.*
TATIANUS ASSYRIUS, *S. Juſtini diſcipulus*, denique *Hæreticus.*
S. IRENÆUS, *S. Polycarpi diſcipulus, Epiſcopus Lugdunenſis.*

SAECULO III.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS, *Presbyter.*

S. HYP-

S. HYPPOLITUS, *Epiſcopus Portus Romani in Arabia*, *Martyr*.

AMMONIUS ALEXANDRINUS, *Philoſophus chriſtianus*, *Origenis præceptor*.

ORIGENES, *Presbyter Alexandrinus*.

JULIUS AFRICANUS, *Laicus*, patria *Lybicus*.

S. GREGORIUS, *Epiſcopus Neocæſarienſis*, dictus *Thaumaturgus*.

S. DIONYSIUS, *Alexandrinus Epiſcopus*, *diſcipulus Origenis*.

SAECULO IV.

S. METHODIUS, primum *Olympi*, poſt *Tyri Epiſcopus*, *Martyr*.

EUSEBIUS, *Cæſarienſis Epiſcopus*, inter duces *Arianorum*.

THEODORUS, *Heracleenſis Epiſcopus*.

VICTOR, *Antiochenus Epiſcopus*.

S. ANTONIUS, *Abbas*, & *Inſtitutor Monachorum*.

S. MACARIUS, ejus *diſcipulus*, ſed diſtinguendus ab alio Juniore, *Regulæ Monachorum* ſcriptore.

SERAPION, *Epiſcopus Sceticenſis*.

S. ATHANASIUS, *Patriarcha Alexandrinus*.

S. EUSTATHIUS, *Epiſcopus Antiochenus*.

S. CYRILLUS, *Epiſcopus Hieroſolymitanus*.

TITUS, *Boſtrenſis Epiſcopus*, cui, quia incertæ omnino eſt ætatis, neque alteri loco affigi poteſt, *Titum* alterum *Juniorem*, pariter *græcum*, at falſo dictum *Boſtrenſem* adjungo.

S. EPHRAEM, *Syrus Diaconus*.

CÆSARIUS, creditus frater *Nazianzeni*.

S. BASILIUS MAGNUS, *Epiſcopus Cæſareenſis in Cappadocia*.

EVAGRIUS PONTICUS, *Solitarius* & *Origeniſta*.

S. GREGORIUS, *Nyſſenus Epiſcopus*.

S. GREGORIUS, *Nazianzenus Epiſcopus*.

DIDY-

DIDYMUS ALEXANDRINUS, *a puero cæcus.*
S. PACOMIUS, *Abbas.*
ORIESIS, *Abbas.*
MARCUS, *Exercitator* dictus, alius a *S. Marco, Eremita* tempore Leonis VI. Imperatoris, de quo nihil ſcriptum habemus.
PHILO, *Carpathiorum Epiſcopus.*
S. ASTERIUS, *Amaſenus Epiſcopus.*
S. AMPHILOCHIUS, *Iconienſis Epiſcopus.*

SAECULO V.

S. EPIPHANIUS, *Salamienſis*, ſeu *Conſtantienſis in Cypro Epiſcopus.*
S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Epiſcopus Conſtantinopolitanus.*
SEVERIANUS, *Epiſcopus Gabalorum.*
THEOPHYLUS, *Patriarcha Alexandrinus.*
SYNESIUS, ex Philoſopho *Epiſcopus Ptolemaidis.*
PALLADIUS, *Epiſcopus Helenopoleos.*
S. ISIDORUS PELUSIOTA, *Abbas.*
HESYCHIUS, *Presbyter Hieroſolymitanus.*
S. NILUS, *Abbas.*
S. CYRILLUS, *Patriarcha Alexandrinus.*
S. PROCLUS, *Epiſcopus Cyzicenus*, poſt *Conſtantinopolitanus.*
THEODOTUS, *Epiſcopus Ancyranus.*
S. DIADOCHUS, *Epiſcopus Photices.*
JOANNES CASSIANUS, quem ſupra *Collationum* ergo *Latinis adſcripſi.*
S. BASILIUS, *Seleucienſis Epiſcopus.*
THEODORETUS, *Cyrenſis Epiſcopus.*
ÆNEAS GAZÆUS, *Philoſophus Chriſtianus.*
GENNADIUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*
NEMESIUS, ex Philoſopho *Epiſcopus Emeſenus.*

SAECULO VI.

ADRIANUS, auctor *Iſagoges in S. ſcripturam.*

PRO-

PROCOPIUS GAZÆUS, *Sophiſta chriſtianus.*
NONNUS PANOPLITA, *Ægyptius Poeta.*
JOANNES MAXENTIUS, *Monachus Scythes.*
ISAACUS JUNIOR, *Monachus Syrus.*
AGOPETUS, *Diaconus Conſtantinopolitanus.*
S. JOANNES CLIMACUS, *Abbas montis Sina.*
ZACHARIAS, *Mytilenenſis Metropolita.*
S. DROTHEUS, *Abbas.*
LEONTIUS BYZANTINUS, *Monachus Sabaita.*

SAECULO VII.

LEONTIUS, *Neapolitanus in Cypro Epiſcopus.*
S. ANASTASIUS SINAITA, *Monachus.*
JOANNES MOSCHUS, *Monachus Syrus.*
JOANNES GRAMMATICUS, *Alexandrinus*, dictus PHILOPONUS.
EVAGRIUS SCHOLASTICUS, *Curator tabularii cæſarei.*
JOANNES IEJUNATOR, *Patriarcha Conſtantionopolitanus.*
ANTIOCHUS, *Monachus Sabaita.*
GEORGIUS, PISIDES, *Diaconus Conſtantinopolitanus.*
THALASSIUS, *Monachus, S. Maximo Martyri familiaris.*
EUSTRATIUS, *Presbyter Conſtantinopolitanus.*
S. SOPHRONIUS, *Patriarcha Hieroſolymitanus.*
S. ANDREAS, *Cretenſis Archiepiſcopus.*
S. MAXIMUS, *Abbas, Martyr.*
THEODORUS, *Monachus & Presbyter Rhaytuenſis.*
B. ESAIAS, *Abbas.*
JOANNES, *Epiſcopus Carpathiorum.*
GEORGIUS, *Nicomedienſis Metropolita.*

SAECULO VIII.

JOANNES, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*
ANDREAS, *Cæſarienſis Archiepiſcopus.*

ANA-

ANASTASIUS, *Abbas S. Euthymii in Palæſtina.*

COSMAS HIEROSOLYMITANUS, *S. Damaſceni Sodalis*, poſt *Epiſcopus Majumenſis.*

S. JOANNES DAMASCENUS, *Monachus & Presbyter.*

THEOPHANES CERAMEUS, *Epiſcopus Tauromenitanus.*

ANTONIUS MELISSA, *Monachus.*

SAECULO IX.

S. METHODIUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*

S. THEODORUS STUDITA, *Abbas Conſtantinopolitanus.*

S. JOSEPHUS, *Theſſalonicenſis Archiepiſcopus*, ejusdem frater.

S. NICEPHORUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*

PHOTIUS, poſt *Auctor ſchismatis græci.*

THEODORUS ABUCARA, *Archiepiſcopus Cariæ.*

PETRUS SICULUS, nobilis *Laicus.*

SAECULO X.

ARETAS, *Cæſarienſis Presbyter.*

LEO, *Imperator*, dictus SAPIENS, ſeu PHILOSOPHUS.

SIMEON METAPHRASTES, inter *Proceres Aulæ Conſtantinopolitanæ.*

SIMEON JUNIOR, dictus THEOLOGUS, *Abbas Conſtantinopoli.*

OLYMPIODORUS, ex Philoſopho, ſive *Monachus*, ſive *Clericus.*

MOSES BAR-CEPHAS, *Epiſcopus Syrus.*

SAECULO XI.

MICHAEL PSELLUS, *Princeps Conſtantinopolitanus*, poſt *Monachus.*

ISAAC. Syrus, *Monachus Catholicus.*
SAMONAS, *Gazenſis Epiſcopus.*
THEOPHYLACTUS, *Archiepiſcopus Acridæ & Bulgariæ Metropolita.*
OECUMENIUS, Auctor *Catenæ.*
JOANNES XIPHILINUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*

Saeculo XII.

THEORIANUS quidam, *vir doctus, atque Catholicus.*
PHILIPPUS, dictus solitarius.
MICHAEL GLYCAS, doctus *Siculus.*
EUTHYMIUS zigabenus, *Monachus Baſilianus.*
JOANNES, ZONARAS, & ipſe *Monachus Baſilianus.*
ISAAC, Primas *Armeniæ Catholicus.*

Hos deinceps alii quoque præclari ſcriptores ſecuti ſunt, uti

THEODORUS BALSAMON, *Patriarcha Antiochenus.*
NICETAS choniates, *magnus Logotheta ſecretorum.*
PANTALEON, *Diaconus Conſtantinopolitanus.*
GEORGIUS PACHYMERES, *Presbyter Nicæenſis.*
GERMANUS II. *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*
NICEPHORUS BLEMMYDA, *Monachus & Presbyter.*
JOANNES WECHUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*
THEOPHANES, *Archiepiſcopus Nicæenſis.*
GREGORIUS ACYNDINUS, *Theologus.*
NICOLAUS CABASILAS, *Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.*
DEMETRIUS cydonius, ex aulico *Monachus.*

MANU-

MANUEL CALECAS, *Theologus Dominicanus*, natione *græcus*.
JOANNES CYPARISSIOTUS, *Theologus*.
BARLAAMUS, *Hieracenſis Epiſcopus*.
GREGORIUS PALAMAS, *Epiſcopus Theſſalonicenſis*.
ANDRONICUS, *Conſtantinopolitanus*, ex familia *Comnena*.
BESSARION, *Patriarcha Conſtantinopolitanus & Cardinalis*.
GEORGIUS SCHOLARIUS, *Patriarcha Conſtantinopolitanus*.
MAXIMUS PLAMIDES, *Monachus*.

Quos omnes nominavi, non quod Patribus acc enſere eos velim, ſed quod dignos putem omnes (ſaltem Catholicos) uti agmen eorum claudant. Et profecto video ſcripta illorum præclariſſimis apud nos viris placuiſſe ſummopere, & emolumenti quam plurimum in re Theologica attuliſſe.

11. Abſolvimus modo & hanc de Patribus quæſtionem, curioſius forte, quam par erat, inſtitutam. Quod ſi vero ne hac quidem recenſione contentus aliquis undecunque perfectam, & una librorum Titulos complectentem, deſiderat, ipſos Patrum Diribitores, ſive antiquiores, ſive qui viciniores ſunt nobis, accedat. Mea maxima pace id faciet. Id unum precor homini, uti ne, cum annos integros ei negotio impenderit, plurimi nihilominus reſtent, quos & iſti minime attingant. Interea ducem me illi præbeo.

Præter notiſſimos: Euſebium Cæſarienſem in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Hieronymum de *viris illuſtribus*; S. Iſidorum Hiſpalenſem de iisdem, &, qui illum proſecuti ſunt, Sanctos Ildephonſum, Julianumque, Toletanos: Gennadium Maſſilienſem itidem de *viris illuſtribus*: Honorium Auguſtodunenſem de

Luminaribus Eccleſiæ: Sigebertum Gemblacenſem, & ipſum de *viris illuſtribus*, præcipui ſunt

Photius in *Myriobiblo*, ſeu *Bibliotheca lectorum a ſe Librorum.*

Henricus Gandavenſis de *viris illuſtribus.*

Joannes Trithemius de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & in *Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ.*

Conradus Geſnerus in *Bibliotheca univerſali.*

Sixtus Senenſis in *Bibliotheca Sancta.*

Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro.*

Jacobus de Breul, Benedictinus, in *Collectione operum variorum auctorum.*

Robertus Cardinalis Bellarminus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

Henricus Caniſius in Tomis VI. *Antiquarum Lectionum* cum *Supplemento* Stevartii.

Balthaſar Corderius in *Catalogo Patrum*, ex quibus *catenam* ſuam concinnavit.

Aubertus Miræus in *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, qui tamen non eſt pari cum ceteris laude in hoc foro verſatus, multoque minus addidit prioribus, quam ademit.

Jacobus Sirmondus in *Collectionibus Opuſculorum Dogmaticorum & Veterum.*

Fabianus Juſtinianus, ex Congregatione Oratorii, in *Indice Univerſali.*

Philippus Labbé in *Diſſertatione philologica & hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quos attigit Bellarminus. Item in *nova Bibliotheca Manuſcriptorum* duobus Tomis majoribus comprehenſa.

Bibliotheca maxima Lugdunenſis, XXVII. tomis in folio, anno 1677.

Jacobus Homey, Auguſtinianus, in *Supplemento Patrum.*

Caſimirus Oudin, Præmonſtratenſis, in *Supplemento*

to Bellarmini, maxime in Editione, quam dein Apoſtata ampliorem apud Batavos curavit.

Guilielmus Cave in *Tabula Scriptorum Eccleſiaſticorum*, & in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, duobus Tomis majoribus conſtante.

Lucas d'Acherus, Benedictinus, in *Spicilegio* Tomis XIII.

Joannes Mabillonius, Collega ejus, in *veteribus Analectis*, & in *Muſæo Italico*.

Stephanus Baluzius in Tomis VII. *Miſcellaneorum*.

Laurent. Alexander Zacagnius in *Collectaneis Monumentor. veter. Eccleſ. græc. ac latin.*

Ludovicus Elias Dupin in *Bibliotheca nova*, quæ tamen legenda eſt cum *Ponderationibus* Patrum Benedictinorum, Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi.

Petrus Lambecius in *Commentariis in Bibliothecam Viennenſem*, unacum *Breviario & Supplemento* Neſſelii.

Edmundus Martene & Urſinus Duromd, Benedictini Maurini, in *Theſauro Anecdotorum* Tomis V. & *Collectione Scriptorum* IX. Tomis.

Joan. Albertus Fabritius in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* & *Bibliotheca latina mediæ & infimæ latinitatis.*

Bernardus de Montfaucon in *Diacono Italico*, in *Bibliotheca Coisliniana*, & *Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum.*

Ludov. Antonius Muratorius in *Anecdotis latinis & græcis.*

Bernardus Pezius, Benedictinus Germanus, in *Theſauro noviſſimo Anecdotorum*, & *Bibliotheca Aſcetica antiquo-nova*, cui plures egregios ſcriptores reſtitutos debemus.

Remigius Ceillier, Benedictinus Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, in Opere: *Hiſtoire générale des Auteurs ſacrés & eccléſiaſtiques.*

Magna Bibliotheca Eccleſiaſtica, Genevæ ab anno 1734. edi cœpta.

Quibus accedunt privatæ quorumdam Collectiones, ſcilicet:

Bibliotheca Hiſpana vetus Nicolai Antonii, quam ab obitu auctoris edidit Cardinalis d'Aguine.

Bibliotheca Cluniacenſis.
Floriacenſis.
Carthuſiana.
Ciſtercienſis.
Præmonſtratenſis.
Benedictino - Caſſinenſis.
Alia item *Scriptorum veterum*, *Ordinis Ciſtercienſis*, Tomis octo majoribus a P. Bernardo Tiſſier, ejusdem Inſtituti, vulgata.

Sylloge veterum Epiſtolarum Hibernicarum, per Jacobum Uſſerium.

Codex Regularum Lucæ Holſtenii, aliaque, quæ vel non vidi ego, vel certe memoria jam non teneo.

Pro græcis, aliisque orientalibus conſuli ſpeciatim poſſunt

Joannes Meurſius in *Libro variorum divinorum*, græce.

Petrus Arcudius in *Opuſculis aureis quorumdam græcorum de Proceſſione Spiritus Sancti.*

Petrus Poſſinus in *Theſauro Aſcetico græco - latino*, ſeu *ſyntagmate Opuſculorum octodecim a PP. græcis collectorum.*

Stephanus le Moyne in *variis ſacris*, ſeu *Syllogis variorum Opuſculorum græcorum*, *cum notis & obſervationibus.*

Fran-

Franciſcus Combefis, Dominicanus, in *Auctariis duobus Patrum græcorum.*

Leo Allatius in *Græciæ orthodoxæ* Tomis duobus.

Joannes Bapt. Cotelier in *Eccleſiæ græcæ Monumentis.*

Tres e Congregatione Mauriana in *Analectis græcis.*

Joann. Albertus Fabricius in *Bibliotheca græca.*

Bernardus de Montfaucon in *Collectione nova PP. & Scriptorum græcorum.*

Joſephus Simon Aſſeman in *Bibliotheca orientali, ex MSS. præcipue Vaticanis* noviſſime edita. &c. &c.

Bandinianam, quæ nuper Florentiæ prodiit, *græcorum collectionem* ego hucusque non vidi.

DISSERTATIO III.

De auctoritate Patrum,

ſeu

quænam Patrum cum alias, tum præcipue in foro Eloquentiæ auctoritas ſit.

CAPUT I.

Auctoritas Patrum generatim, quam ex doctrina, antiquitate, aliisque titulis in Eccleſia ſemper habuerunt.

12. Auctoritatem Patrum apud fideles omnes maximam eſſe debere vel ex ipſo nomine manifeſtum eſt, quod ea etiam de cauſa ſolicite admodum quæſtione prima examinavi. Sunt nempe a Deo ipſomet conſtituti Doctores, ac Magiſtri noſtri, fulcra, & columnæ ædificii Eccleſiaſtici, coævi teſtes antiqui Spiritus, Fidei, Traditionumque Apoſtolicarum integerrimi cuſtodes. Quam in rem nunc alleganda ſunt Apoſtoli clara, atque notiſſima verba in 1. *ad Epheſ. cap.* 4. ita ſcribentis: *Et ipſe dedit quosdam Apoſtolos, quosdam autem*

Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec omnes occurramus in unitatem fidei, & agnitionis filii DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Quaſi diceret: Dei providentia ſingulari factum, ut ſicut quidam Apoſtoli, quidam Prophetæ, quidam Evangeliſtæ, ita & alii Paſtores, atque Doctores eſſent, qui pro officii ſui ratione ad conſummatam ſanctitatem fideles promoverent, corpusque hoc myſticum, & ædificium admirandum, cujus Chriſtus caput, & fundamentum eſt, iisdem præceptis ubique, & conſtanter ita imbuerent, usquedum ad perfectam fidem, & dilectionem, veluti chriſtiani hominis maturam ætatem provehamur, neque jam puerorum more huc illuc fluctuemus, ac cujusvis novæ doctrinæ aura per nequitiam, & veteratorias artes impiorum in ſcopulos impellamur.

Itaque Catholici univerſim de auctoritate Patrum iſtuc ſtatuunt, unanimem eorum conſenſum *, quacunque in re, quæ *ad Fidem*, vel *Mores Eccleſiæ* pertineat, eſſe indubitatum omnino teſtimonium veritatis, certumque & irrefragabile divinæ revelationis argumentum ſuppeditare. Et ſane ſi fidelium multitudini univerſæ conceſſum hoc privilegium eſt, ut errare nequeat in *credendo*: quanto minus multitudini Paſtorum, Doctorumque negandum fuit, ut errare *in docendo* nequaquam poſſit? Quid enim? infinities plures illi ſint numero: at tantumdem iſti auctoritate, ſcientia, & aliis dotibus præ-

* *Morali* ſcilicet, non *arithmetica ſignificatione*, ut cum Theologis loquar.

præſtant, ut quibus illi tanquam rudes, ac diſcipuli inſtituendi, regendique ad unum omnes committuntur. Plus dico, illud ſine altero hoc nec eſſe, nec concipi ratione ulla poteſt. Nam ſi errare, qui docent, ſinerentur, illi quos docuiſſent, non poſſent ſolum, verum etiam deberent errare: ab errantibus enim ipſis traheretur Eccleſia, & gradientes per devia Paſtores grex univerſus ſequeretur. Divina ſcilicet ordinatione ita comparatum eſt, ut non per alios quam illos ipſos Patres doceatur Eccleſia: non alia filiorum fides, non alius ſpiritus, quam ab illis acceptus, & huic unitati innixa ſimul Religio tota fulcitur undique, ac ſuſtentatur. Itaque cum tam arcto inter ſe vinculo cohæreant hæc duo, quiſquis unum labefactare ſit auſus, alterius quoque fidem concutiat, neceſſe eſt.

Quamprimum ergo conſtat, Patres in eandem ſententiam omnes ire, non tam exiſtimemus nos eorum, ſanctiſſimorum licet atque doctiſſimorum virorum, ſed Eccleſiæ ipſius dogmata audire, cujus ipſi Doctores, & Magiſtri poſt Apoſtolos præcipui ſemper extiterunt. Quid enim, oro, aliud agunt Patres, ubi in fidei articulum aliquem uno animo, voce una conſpirant? nempe teſtimonium perhibent doctrinæ ejus, quæ in Eccleſia vigebat hactenus, quamque ipſi a majoribus ſive verbis traditam, ſive ſcriptis conſignatam acceperunt. Quid, rurſum quæro, aliud agit Eccleſia, quando ſeu congregato toto corpore in Concilio, ſeu per caput ſuum viſibile quæſtiones Religionis decidit? Iſtuc, quod præter ſcripturam Patres quoque ipſius Interpretes & Traditionum depoſitarios quoſdam conſulit, ad ſuam ſcilicet ſententiam eorum, ubicunque concordem repererit, ſententiæ conformandam. Atque hac ratione illorum conſenſio talis evidens ſemper argumentum genuinæ, & inde ab Apoſtolis repetitæ Traditionis habitum eſt, quodque alte-

ro loco inter fidei regulas, & Theologiæ veluti cardines quoſdam Catholica pietas ſemper agnovit. Audiamus in eam rem Conciliorum generalium infallibile, ac plane divinum oraculum, quod ideo ante Patrum locos afferimus, ne quando de ipſa eorum auctoritate controverſia eſt, contemni illa tantiſper ab imperitis poſſit.

Et Concilium quidem I. quod Nicææ contra Arium congregatum eſt, vocem illam *conſubſtantialis*, qua hæreſis nefariæ jugulum petebatur, ea de cauſa uſurpandum Catholicis præcepit, quod eam, etſi in ſcripturis nusquam expreſſam, a Patribus tamen veluti per manus traditam haberet. Uti ex S. Athanaſii *Epiſt. ad Afros*, & *Libr. de Synodi Nicænæ decretis* manifeſtum fit. Imo ipſe Euſebius Cæſarienſis, intus & in cute Arianus, cum huic catholicorum teſſeræ calamo quidem, non item animo ſubſcriberet, ab ipſa illa Patrum auctoritate, id ut faceret, perſuaſum ſe profitetur *.

In proximo, quod conſecutum eſt, Conſtantinopolitano nempe Concilio Epiſcopis ante omnia hæc veluti decretoria interrogatio propoſita eſt a Nectario Præſide, quam & urgebat identidem, ac perurgebat, uti aperte edicerent, num Patrum potius, qui ante exortas eas controverſias ſcripſiſſent, quam ſuo ſtare judicio deliberatum haberent?

Eadem ratione in Synodo Epheſina cum alias, tum maxime *Actione* I. ex relectis, prolatisque in medium Patrum Sententiis Neſtorius condemnatus eſt, id quod toto *cap*. 42. *Commonitorii I.* Vincentius Lirinenſis expendit.

Si rurſum in Concilio Chalcedonenſi, unacum Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolo tanquam fidei regulis indubitatis, Eutycheti objecta S. Leonis Epi-

* Legatur Theodoretus *Hiſtor. Eccleſiaſt. Libr.* I. *cap.* 12.

Epiſtola eſt, in quam doctiſſimus Pontifex Patrum tam latinorum, quam græcorum teſtimonia collegerat; hacque audita, acclamatum continuo: *Hæc eſt fides Patrum! omnes ita credimus.* Imo ex ipſa *actione* 1. & 4. maxime vero ex *Allocutione ad Marcianum Imperatorem* * Præſules Chalcedonenſes conceptis verbis regulam ſe Sanctorum Patrum amplecti profitentur.

Poſt primas iſtas, easque generales Synodos, quæ quatuor Evangeliorum loco ſunt omnibus, aliæ etiam, quæ conſequentibus Sæculis usque ad Tridentinam congregatæ ſunt, eandem dijudicandorum dogmatum rationem tenuerunt. Sic proxima Synodus V, quæ Conſtantinopoli ſecunda vice celebrata eſt, *collatione* 3. nominatis adeo ſingillatim Patribus utriusque Eccleſiæ docet ſe ſequi, & ſuſcipere omnia, quæ illi, aliique Sancti, ac orthodoxi Patres conſcripſiſſent, atque expoſuiſſent. Denique ultima Tridentina, quæ aliorum Epitome quædam dicenda eſt, *ſeſſione IV. in Decreto*, ubi de editione, uſuque Sacrorum librorum agit, ſub anathematis extrema pœna prohibet univerſis, ne quis ſcripturam ſacram contra unanimem SS. Patrum ſenſum audeat interpretari.

13. Sed juvat quoque Patrum ipſorum, ubi de iis, qui ipſos præceſſerant, ſermonem habent, ſententias huc apponere.

S. Irænaeus paſſim, maxime vero *Lib.* 3. *cap.* 3. & *L.* 4. *c.* 63. veterum auctoritatem, ut qui Apoſtolorum ſucceſſores eſſent, omni ſtudio tuetur, ac propugnat.

S. Clemens Alexandrinus cum alias, tum fuſe **Libr. 7. Strommatum a veritate aberrare eum pronuntiat, qui Scripturas Sacras aliter, quam ex SS. Patrum Traditione explicatum iret.**

Sum-

* **Habetur 3. *parte* ejusdem *Concilii*, *cap.* 1.**

Summorum Doctorum *Baſilii*, & *Gregorii Nazianzeni*, licet parem ſæculari quoque doctrina neminem haberent, nota in ea re religio eſt, ut qui in divinarum literarum explicatione non ſua ſe exprimere, ſed ſoli antiquorum ſententiæ inhærere velle proteſtati ſunt *.

S. Hieronymus in cap. 1. *Epiſtolæ ad Galat. Doctores Eccleſiæ non tam ipſi docent*, inquit, *quam in ipſis Deus, qui ad Sanctos loquitur.* Idem in omnium fere commentariorum prologio veteres laudat, quorum veſtigiis ipſe inſiſteret, plurimusque eſt in iis reprehendendis, qui præter doctrinam majorum, ſcientiam ſibi ſcripturarum arrogarent.

S. Epiphanius hæreſi 61. in divinorum Librorum expoſitione controverſa ſectarios ad univerſalem Doctorum Eccleſiæ conſenſionem provocat.

S. Cyrillus Alexandrinus in *Apologetico*, quem ad Synodum Epheſinam *pro* 12 *capitulis contra Epiſcopos Orientis* dixit, quique ad calcem Concilii ejus habetur, *defenſione Anathematismi octavi*: *Mens humana*, inquit, *licet nonnunquam propter amorem ſui a recta via egrediatur, & a veris dogmatibus diſcedat, ferme ſemper gravatur, & formidat ſuas cogitationes abſurditatis damnare: ſed tamen ſeipſam facile corriget, ſi labores ſcrutata fuerit SS. Patrum, qui ab omnibus de rectitudine, & certitudine dogmatum celebrantur. Tum ſuam recte fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor eſt, illorum ſententias ſequi contendunt, quia & ipſi Evangelica, & Apoſtolica traditione ſuam mentem cum impleviſſent, & ex Sacris Scriptis ſermonem fidei recte, & citra reprehenſionem tractaſſent, mundi fuere luminaria, ſermonem vitæ continentes, prout ſcriptum eſt.*

Sed nemo luculentius, uberius nemo Patrum auctoritatem ſtabilivit, atque S. Auguſtinus, & Vin-

* Ruffinus *L.* 2. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 19.

Vincentius Lirinenſis fecerunt. Et prior quidem cum alias, tum maxime *libro* 1. *&* 2. *contra Julianum*, ut illum Pelagianorum Ducem proſterneret omnino, atque opprimeret, hoc utitur ineluctabili argumento; doctrinam ejus, qua vim gratiæ omnem a natura repeteret, Patribus, quotquot in Eccleſia ante floruiſſent, prorſus ignotam, imo contrariam eſſe: & allegat eos nominatim. Ubi inter alia memorabilis ejusdem ſententia eſt, nec ſimpliciter prolata, ſed clare deducta: ab unanimi Patrum conſenſione diſcedentem ab univerſa etiam Eccleſia, & veritate ipſa recedere. Sed neque illa omittenda; ſe quidem ſive pro ſua fide privatim, ſive cum eam ſcripto doceret, & pro concione populo explicaret, Patres ſibi velut regulam propoſuiſſe. *Quod credunt*, ait, *credo*, *quod tenent*, *teneo*, *quod docent*, *doceo*, *quod prædicant prædico.* Alter, Vincentius ſcilicet Lirinenſis, invictus pro veritate, & antiquitate pugil, quid non egit, ut fundamenti loco iſtuc ponat, revocari in dubium non poſſe, quidquid Patres conſtanti unanimique conſenſione docuiſſent? Collatas inter ſe majorum ſententias, inquit *Comonitor. I. cap.* 4. lector conſulat eorum, qui diverſis licet temporibus & locis in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, ac fide permanentes, Magiſtri probabiles extiterunt. Et quidquid non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. Similia alibi ſæpius, & fuſe etiam inculcat, præſertim *cap.* 39, *&* 40 *ib.*

Alios Patres, ne nimium excurram, conſulto prætereo, uti Dionyſium *cap.* 1. *cæleſt. Hierarch.* Origenem *Tract.* 29. *in Matthæum.* Ambroſium *L.* 3. *de fide cap.* 7. Hieronymum *Epiſt.* 103. *&* 123, & in

in *cap.*11.*Danielis*.Auguſtinum *L.de utilitate credendi.* Paſſim. *L.* 1. *de morib. Eccleſiæ Catholicæ cap.*11. *L. de prædeſtinat. Sanctor. cap.* 14. *L. de Catechizandis rudibus cap.* 8. Caſſianum *cap.* 11. *collation.* 2. Caſſiodorum in *Præfat. Inſtitutionis.* Illud ſufficit monuiſſe, eorum locos, qui pro Traditione ſtabilienda afferri a Doctoribus Catholicis ſolent (afferuntur autem quamplurimi a Coccio, Bellarmino, Alexandro, aliisque) pariter pro auctoritate Patrum pugnare fere univerſos.

14. Alias auctoritates non appello, ne ſcholaſticam diſceptationem inſtituere, atque illud ſumpſiſſe mihi videar, quod huc minime neceſſarium eſt. Et ſane certiora jam diximus, quam ut inde pondus addendum ſit. Neque decet a rationibus graviſſimis ad leviores delabi orationem noſtram. Hoc itaque dico, quod plus quam ſatis ſit, omnes videlicet, nullo excepto, in eo conſentire. Solus Cajetanus (aſt ante Tridentinum) hic aliquid licere ſibi arbitratus eſt. *Præfatione enim Commentar. in* 5. *Libros Moyſis* ita loquitur: *Quando occurrerit novus ſenſus textui Scripturæ conſonus, quamvis a torrente Doctorum Sacrorum alienus, æquum ſe præbeat lector cenſorem.* Et paulo poſt: *nullus deteſtetur novum ſcripturæ ſenſum ex hoc, quod diſſonat a priſcis doctoribus. Non enim alligavit Deus expoſitionem Scripturarum Sanctarum priſcorum doctorum ſenſibus, ſed ſcripturæ ipſi integræ, ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura &c.* His porro verbis etſi non omnis rima ad excuſationem præcluſa eſt, ut quibusdam videtur, acerrime tamen in eum propterea Canus inſurrexit: „Ego, honoris cauſa præfa„tur *, hunc ut ſupra alias teſtatus ſum, ſem„per feci maximi. Plurimum enim Eccleſiam Dei „literis ſuis juvit. Longum eſt autem hominis „com-

* *Libro 7. de Locis Theolog. cap.* 3.

„ commendare ſive eruditionem, ſive ingenium,
„ moleſtum etiam univerſa ipſius opera comme-
„ morare. Illud breviter dici poteſt, Cajetanum
„ ſummis ædificatoribus Eccleſiæ parem eſſe po-
„ tuiſſe, niſi quibusdam erroribus doctrinam ſuam
„ quaſi cujusdam lepræ admixtione fœdaſſet, &
„ vel curioſitatis libidine affectus, vel certe inge-
„ nii dexteritate confiſus, literas demum ſacras
„ ſuo arbitratu expoſuiſſet. Feliciſſime quidem
„ fere, ſed in paucis quibusdam locis acutius ſane
„ multo, quam felicius. Nam & vetuſtæ traditio-
„ nis parum tenax, & in Sanctorum lectione pa-
„ rum quoque verſatus, libri ſignati myſteria ab
„ his noluit diſcere, qui non ſuo ſenſu illa, ſed
„ Majorum Traditione, vera ſcilicet verbi Dei cla-
„ ve aperuerunt. Ita cum plurima ſcripſiſſet egre-
„ gie, vertit ad extremum omnia, & novis qui-
„ busdam ſcripturæ expoſitionibus aliorum, quæ
„ vel graviſſime dixerat aut elevavit, aut immi-
„ nuit auctoritatem. Invitus quidem facio, ut do-
„ ctiſſimum virum nomine etiam expreſſo repre-
„ hendam, ſed cum nominis, ac gloriæ celebri-
„ tas hoc loco a Lutheranis objiceretur, notan-
„ dam temeritatem putavi. Atque error, in quem
„ incidit, eſt hujusmodi, ut eum ego ſubmovere
„ omni ratione debeam, nec ſine ſummi tamen
„ viri aperta reprehenſione poſſim. „

Viden, ut præmunit, ut vertit ſeſe, ut illum petit, ut etiam cum blanditur, & diſſuaviari velle virum videtur, ſonoros tamen ictus infligit? Sed quoniam elegantiſſima ea Diſputatio eſt, & Argumento, quod tractamus plurimam lucem affundit, ulterius diſertiſſimo homini auſcultemus.

„ Hæreticorum itaque, ait, & Schismaticorum
„ communis fuiſſe videtur Cajetani illa ſententia.
„ Nec ego hic tamen hæreticos volo argumentan-
„ do reducere. Quid enim illis facias, qui ea-
„ dem

„ dem impudentiâ & Apoſtolicæ ſedis judicia, & „ Conciliorum dogmata, & Apoſtolorum Traditiones, & Sanctorum omnium doctrinam contemſere? Adverſus Cajetanum omnis oratio ſuſcipitur a nobis, qui ut erat ingenioſus, noſtras „ rationes expenderet, atque erat pius, auditis graviſſimis teſtimoniis minime refragaretur. Atque „ nobis unum ſat erat, ita nobis majores noſtros „ tradidiſſe. Sed Cajetanus auctoritatem contemnit, ratione pugnat. Patietur igitur rationes „ meas cum ſua ratione contendere. Quamquam „ a Philoſophis quidem rationem philoſophicæ „ concluſionis jure forſitan poſtularis: in Sacrarum „ autem Literarum intelligentia majoribus noſtris „ debes nulla etiam ratione reddita credere, & „ quas ſententias de lege, de fide, deque Religione ab illis accepiſti, defendere. Ego vero eas „ defendam, ſemperque defendi, nec me ex eo „ ſenſu, quem a Patribus accepi, ullius unquam „ ratio aut docti aut indocti movebit. „

Tum inſertis quibusdam, huc minime neceſſariis, pergit *num.* 16, & Auguſtinum contra Julianum ſcribentem ingenioſe imitatus verba expromit quam efficacia, tam luculenta.

„ Te nunc, inquit, Cajetane Pater, ſi filio „ Patrem appellare licet, te Cajetane inquam appello, te in concilium voco, te non in Lycæum, „ aut Academiam induco, ſed in Sanctorum pacificum, honorandumque conventum. Pone tibi „ ob oculos, rogo te tam numeroſam ſeriem eruditiſſimorum virorum, quos in hunc usque diem „ tot ſæculorum conſenſus adprobavit, quos præter admirabilem Sacrarum Literarum peritiam vitæ quoque pietas mira commendat. Aſpice illos, „ obſecro te, quodammodo aſpicientes te, & manſuete, ac leniter dicentes tibi: Itane nos fili Cajetane, in Sacrarum expoſitione Literarum ſimul

„ omnes

„ omnes erramus? Itane nobis omnibus, quos „ Eccleſiæ Chriſtus præceptores dedit, ſpiritus in- „ telligentiæ defuit? Itane tu unus adverſum nos „ pugnare audes, & Eccleſiam credis unius ſenſum „ hominis ſecuturam, hujus vero graviſſimi, ſan- „ ctiſſimique Senatus commune judicium deſertu- „ ram? utrum plus tribuendum eſſe judicas tot „ eruditorum, ſanctorumque Martyrum præjudi- „ ciis, an tuo ſingulari, privatoque judicio? Re- „ ſpondebisne ad hæc, aut omnino hiſcere aude- „ bis? Videre mihi videor, Cajetane pater, mode- „ ſtiam tuam, ingeniique candorem, atque adeo „ in Sanctos religioſam reverentiam, & pietatem; „ & quaſi coram eſſes, audio vocem tuam, aures „ meas circumſonantem: vicimus utrique. Uter- „ que noſtrum palmam refert, tu mei, & ego er- „ roris. Sed neſcio, bone Lector, quo me impe- „ tus animi, & nimius differendi calor evexit. „ Nam & Cajetanus eo jam diu loco eſt, ubi omnes „ ſine mea diſputatione vicit errores, & ego non „ conſuevi eorum inſultare erroribus, quorum mi- „ ror ingenia. „

Dein, uti jam principio pollicebatur, hanc ſe cum Cajetano cauſam ratione magis, quam teſtimoniis tranſacturum, *ibidem num.* 17. ita ratiocinatur. „ Primum autem, qui novam hanc expo- „ nendi Sacras Literas rationem ſuſcitant, hi præ- „ terquam, quod veteres obterunt majorum laudes, „ cum vanis hominibus, tum magis hæreticis „ exemplo ſunt, ut novis, falſisque commentis Sa- „ crarum Literarum vera ſenſa contaminent. Quod „ ſi ſemel admiſſa fuerit hæc licentia, ut Libros „ Sacros pro ſuo quisque arbitrio interpretetur, „ horreo dicere, quantum abolendæ Religionis „ periculum conſequatur. Etenim una qualibet „ particula Sanctarum Scripturarum humanorum „ ingeniorum libertati permiſſa, alia quoque at-

„ que alia, & omnes jam quaſi ex more reliquæ
„ humanitus tractabuntur. Porro autem, ſi totam
„ Scripturam divinam hominum quorumlibet in-
„ genio, arbitratuque exponi liceat, nihil firmum
„ relinquetur, ſed ſit ibi deinceps errorum lupa-
„ nar neceſſe eſt, ubi erat ante caſtæ, & incorru-
„ ptæ Sacrarium veritatis, quemadmodum Vincen-
„ tius Lirinenſis non minus vere, quam eleganter
„ aſſeruit. Quin etiam præter incommoda & mul-
„ ta, & magna, quæ futuris in Eccleſia fidelibus
„ hæc opinatio affert, Eccleſiam, quæ nos anteceſſit,
„ erroris graviſſimi nota liberare nequit. Cum
„ enim ſive concionatores, ſive ſcriptores omnes,
„ qui Sanctis antiquis ſucceſſere, Sacræ Scripturæ
„ ſenſum populo tradiderint juxta doctrinam a San-
„ ctis acceptam: populus autem ſenſum eundem
„ fidenter acceperit: nimirum qui concordem San-
„ ctorum veterum expoſitionem rejicit, intelli-
„ gentiam, quam hactenus Eccleſia habuit, reji-
„ cere convincitur.

Addit alia quoque argumenta non ſolide minus pro more, quam ornate: quæ tamen, quod interpretationem Scripturarum unice reſpiciunt, non eſt opus huc tranſcribere. Illud autem, quod penultimo loco ponit, quodque huc præclare facit, & a ratione naturali petitum eſt, nefas ſit omnino præterire. „ Age enim, inquit,
„ ut a divinis ad humanas rationes noſtra defluat
„ oratio: Si in Scripturæ interpretatione quidquam
„ tribuitur ingenio, & eruditioni: quid Græcorum
„ ingeniis aut acutius, aut perſpicacius! quid in
„ Literis Sacris exercitatius? nec vero Latinis San-
„ ctis defuit ingenium, nec Literarum Sacrarum
„ peritia defuit; nolumus enim modo aut Lati-
„ nos Græcis, aut Græcos Latinis anteponere.
„ Utroſque conſtat & ingenio, & eruditione va-
„ luiſſe. Quod ſi in hoc judicio magis ſpectatur
„ vitæ

„ vitæ Sanctimonia, quis homo recens veteres il„ los Eccleſiæ primarios viros excellet? verum, „ ajunt: ſed homines erant. At ego & novitios „ iſtos interpretes homines eſſe reor. Audio: „ quid multitudo facit ad ſenſum ſpiritus? reſpon„ deo: quid facit paucitas? Sed & in his, quæ „ vel apud homines fide creduntur, non nihil facere „ ſolet teſtium multitudo, maxime ſeniorum. „ Nam veterrimi quique ſolent eſſe graviſſimi: Ju„ niores autem, quaſi pueri, ſi ſpeciem afferant „ veritatis, non eſt illa quidem repudianda: ve„ tuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt. Maxi„ ma enim eſt vis, & auctoritas vetuſtatis, & ubi „ cum novitate certet, eſt illa ſine dubio præfe„ renda. „

15. Sed dimiſſo jam Cano, cujus digniſſimis verbis ſat diu aures commodavimus, jam ad noſtra redeamus, eaque ipſa concludamus aliquando. Sic itaque arguo. Si tanta eſt, ſemperque fuit Patrum conjuncta auctoritas, ut ab ea recedere, Catholicis nefas ſit: ſi Chriſti ipſius nomine ad nos loquuntur, & ſententiam dicunt, facile jam erit & illud conficere, quod quanto plures, gravioresque in ſententiam aliquam conveniunt, eo majus quoque ad eam robur, & gravius pondus adjungant. Neque hoc contentus ſum. Singulis quoque eorum, quamdiu ab aliis diſſenſiſſe eos non conſtat, reverentia magna debetur; quando diſcipuli nomen non mereretur, qui vel uni Magiſtrorum honorem non haberet. Aſſurgendum eſt ergo unicuique Patrum, ubi ejus ſententiam talem vel legimus in libris, vel pro concione allegatam audimus. Certe probabilis auctoritas eſt, etſi, quod alii ea de re tacuerint, fidem non certam faciat penitus, ac dubitationis omnis expertem. Atque ita video ipſos Patres frequenter commonuiſſe. Nam & Hieronymus, quem unum nomi-

nabo, etſi rotunde dicat aliquando: *Scio me aliter habere Apoſtolos, aliter reliquos tractatores, illos ſemper vera dicere, iſtos in quibusdam ut homines aberrare* *: etſi inquam vir ſanctus ita loquatur, patet tamen ex ejusdem locis aliis, iisque plurimis, eum Sanctis omnibus, præſertim iis, qui in doctrina, & communione Eccleſiæ mortui ſunt, ſeorſim licet acceptis, plurimum nihilominus ſemper tribuiſſe. Minimum profecto, quod de hac vel privata quoque auctoritate dicere poſſumus, iſtuc eſt, nullum alium ſcriptorem, nullum Theologum, nullum aſcetam, nullum interpretem Divinarum Literarum, quantumcunque & ingenio, & lectione, atque etiam ſanctitate emineat, tantum mereri venerationis, quantum vel ultimus inter eos, quos proprio, ſtrictoque ſenſu Patres appellamus. Valet autem id eo magis, quod plerumque in iis rebus, quæ ad mores, vitæque inſtitutionem referuntur, ſimilem ubique habent, & unanimem doctrinam, nec niſi in explicandi, inculcandique ratione diverſitas reperitur; cum hic quidem gravius, vehementius alter, hic aperte, iſte obſcure, hic obiter, ille fuſe, atque ex inſtituto verſetur in aliquo argumento. Præterea ſarta etiam ſingulis, tectaque manet antiquitas, quæ per ſe venerationem magnam habet, quandoquidem Eccleſiam primævam, canosque illos venerabiles Religionis, & veluti ſpirantem ejus imaginem exhibet nobis, nullis adhuc præjudiciis ætatum, nullis nationum, factionumque ſtudiis vitiatam. Sed & unctio accedit, intima illa, & quæ cum ex vitæ Sanctimonia, tum etiam aſpiratione quadam cœleſti profecta eſt. Ego enim in ea ſententia fui ſemper, neminem fere Patrum niſi ſuperno inſtinctu animum ad ſcribendum appuliſſe, & Deum, etſi

* *Epiſt. 62. ad Theophil. Alexandrin. cap. 2.*

etſi aberrare eos nonnunquam a communi ſemita, aut ceſpitare tantiſper permiſit, eo ſolum conſilio feciſſe, ne quid humani alienum forte a ſe aliquando putarent. Iſtuc porro, quod ſcripta ſacro quodam ſapore reſperſa ſunt, lectores non doctiores modo, verum & meliores dimittit, quia penetrat, afficit, & demulcet animum, attentionem, reverentiamque verbis conciliat, ac pudorem incutit ſalutarem: quæ omnia, ut ſentire quilibet, ita verbis exprimere vix quiſquam poſſit.

Denique ne illud quidem omittendum eſt, pleroſque Patrum, etiam eorum, qui eloquentia non admodum valebant, abundare tamen ingenio, & documentorum utiliſſimorum copia refertos eſſe. Quo ſane fit, ut in quovis fere eorum libro theſaurum quemdam, opesque inexhauſtas aſſervemus, in quibus doctrinæ, morumque capita præcipua, velut pinguis hæreditas, ad futuras quoque ætates transmittuntur.

16. Quamquam quid tam multis opus eſt ad ſuam Patribus ſingulis auctoritatem aſſerendam; quando tanta in eos ſemper Eccleſiæ ipſius veneratio extitit, ut cultum iis exhiberet ab aliis Pontificibus, & Confeſſoribus peculiarem, allegaret eos ubique cum præfatione honoris, prælegeret in conventibus publicis fidelium, iisque tanquam proceribus ſuis, ac conſiliariis uteretur? quid quod ſtudium ejuſdem Eccleſiæ ingens extitit in ſcripta eorum inquirendi, inventaque conſervandi? * Lectio autem eorum tam frequens, & uſitata, ut medii prioribus, poſteriores mediis aſſueſcerent, abjectiſque profanis, primo poſt Scripturas loco legi etiam a ſæcularibus, imo a fœminis vellent? **

* Patet ex Euſebio, Hieronymo, aliiſque ſupra *quæſt.* 2. memoratis.

** Vide Hieronymum cum alias ſæpe, tum *Epiſt.* 3. & 10.

Multi Schedulas Sanctorum præ auro ſectabantur, ſat divites, ſi fragmenta ejusmodi, & pretioſas reliquias quam plurimas collegiſſent. Quam ſedulus in Tertulliano legendo Cyprianus, Minutius, Pacianus? quoties allegat, & imitatur majores ſuos Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Cyrillus? Latini ſuos, & ſuos Græci ubique duces adhibent. S. Proſper, S. Fulgentius & Eugippius Abbas, familiaris ejus, toti ſunt in Auguſtino ſequendo. Theodoretus & S. Iſidorus Peluſiota Divos Gregorium Nazianzenum & Joannem Chryſoſtomum Magiſtros habent. Sed & poſteriores, ut Caſſiodorus, venerabilis Beda, Florus Diaconus, S. Paſchaſius Radbertus, S. Anſelmus & S. Bernardus a negotiis aliis liberi huic ſe lectioni totos dabant, in ea quietem, voluptatem, gloriam imo ſanctitatis non minimam partem reponentes. *Non tibi me propria tradidiſſe putes*, ait S. Bernardus in *Prolog. Sermon.* ſuper: Ecce nos reliquimus omnia &c. *nec tanquam noſtra ſuſcipias, ſed de multis Sermonibus Patrum, quorum digna ſatis laus eſt in Eccleſia, quæ huic videbantur aptæ negotio, noveris decerpſiſſe ſententias &c.* * *Micas collegi*, ait Petrus Bleſenſis, *quæ ceciderunt de menſa dominorum meorum.* ** Sed nemo hac in parte S. Damaſceno præferendus, cujus præcipuum atque perpetuum fuit negotium Patres enotare; id quod loco ſuo fuſius, diligentiusque oſtendetur. Quin nonnulli verba quoque ipſa Patrum, imo ſtyli vitia affectant, & aſſuetudine legendi ita eos redolent, ut demum novam quamdam dicendi rationem conderent, ſacris propriam modo, & rebus multis longe a ſæcularium ſcriptione abeuntem. Quæ ſane

* Quantam alias quoque reverentiam Patribus Bernardus haberet, fuſe Mabillonius *Præfat. general. operum* §. 2.

** Libro *de Confeſſione Sacramentali*, initio.

ſane omnia manifeſte oſtendunt, quanto in Patres ſtudio & ferrentur ipſi, & nos in eos ferri exoptarent. Ut enim Vincentius Lirinenſis *Commonitor. II. cap. penult.* Advertit, ſicut ipſi cavebant, ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi a Patribus non accepiſſent: ita poſt futuris quoque exempla præbuerunt, ut ipſi non minus colerent ſacratam vetuſtatem. Sed & *Auguſtinus L. 2. contra Julianum cap. 9.* ait: Quod invenerint in Eccleſia, tenuiſſe, quod didicerint, docuiſſe, quod a Patribus acceperint, hoc filiis tradidiſſe. Id quod profecto a plurimis feliciter obtinuerunt. Infinitus enim forem, ſi poſterorum deinceps in Patres ſtudia vellem exaggerare. Quidam enim immanem illum laborem conſciverunt ſibi, uti locos eorum ad ſcripturam elucidandam ſeponerent, & perpetuo inter ſe nexu aureas quaſi *catenas* conficerent. Alii vel commentati ſunt in opera eorum præſtantiora, * aut ea, quam caſtigatiſſime poterant, in exteras linguas transtulerunt. Iterum alii imperarunt ſibi, ut opera eorum e Bibliothecarum angulis eruta, tineis eriperent, ſitum iis, & ſquallorem abſtergerent, elegantiſſimo charactere tranſcriberent, aut quacunque alia ratione in lucem publicam emitterent. Nam & prælum typographicum recens inventum Patres primi fatigarunt. Alii ne quid omitteretur, quod ad ſenſa eorum, & doctrinas illuſtrandas quoquo modo faceret, nobiliora, gravioraque teſtimonia diggeſſerunt in locos communes. Iterum alii cujuscunque diſciplinæ etiam Jureconſulti, Critici, Oratores, Philoſophi ſua omnia Patrum ſententiis roborarunt, iisque veluti gemmis quibusdam orationem diſtinxerunt. Aliorum publica indignatio in eos emi-

 cuit,

* Ita in Nazianzenum & Tertullianum plurimi, in Auguſtinum *de Civitate* Ludovicus Vives &c.

cuit, qui vel liberiore cenſura in Patrum opera graſſati ſunt, vel ad minimos eorum lapſus ingentes continuo vociferationes ediderunt. * Denique ſummi quique homines, quos ultima duo ſæcula ſuſpexerunt, virique omnium literatiſſimi in eo genere deſudarunt plurimum, in hoc veram eruditionem conſtituerunt, uti opera Patris alicujus omnia conquirerent, verſaque accuratius, aut caſtigata in lucem emitterent. Tantumque in id & induſtriæ, & ſumptuum paulatim impenſum eſt, quantum vix ab ambitioſo luxu, & prodigis nepotibus in pompam, oſtentationem, & delicias profuſum. **

17. Ita de Patrum auctoritate Catholici ſenſerunt: quæ hæreticorum, & libertinorum hominum ſententiæ ſint, parum curare debemus. His enim ad inimicitias, & contemptum plusquam ſatis etiam, contrarium ſibi aliquid eos docuiſſe. Imo Patrum ſumma mihi gloria videtur, diſplicere iis, quibus nec optima, ſanctiſſimaque, imo nec ipſum perſæpe Deum videmus placuiſſe. Bacchetur ergo ubique in Patres Lutherus aliquis, mille Auguſtinos, mille Cyprianos non curet. *** Veniant Centuriatores Magdeburgici illi, Brentius item, Pomeranus, Beza, Maſſovius, Ivellus, Rivetus, Jurieus, Cauſſeus, Dumonlinus, Blondellus, Dallæus, Voſſius, Epiſcopius, & qui primo loco nominandus erat, Joannes Clericus: minuere auctoritatem eorum modis omnibus conentur: non temperent ſibi adeo a cavillationibus, & dicteriis, commiſeratione dignos exhibeant etiam primos omnium, &

* Videatur Vincentius Lirin. *Commonitor. I. cap.* 11. ubi tales egregie perſtringit.

** Recole ea, quæ jam ante in *Præfatione* huc diximus. Sed & alia infra haud paulo copioſius recurrent.

*** *Libro* contra *Regem Angliæ*, & in *Colloquiis Convivalibus*. Alibi quoque ejus generis plura ructavit.

& antiquiſſimos Patres, ſi cum moderno quopiam maxime gregali ſuo comparentur. Sed & Barbeyracius atque Moshemius accedat, quorum ille in *Præfatione ad Gallicam Puffendorſii verſionem* a §. 9. & Tractatu Gallico *de Morali SS. Patrum:* iſte in *Inſtitut. Hiſtor. Chriſt.* in græcorum & latinorum præcipuos totum effundit ſtomachum. Succenturietur illi ſectator ejus Thomaſius in *Hiſtoria Juris naturæ* non minore impudentia in eosdem invectus. Arguant eos ſimul omnes errorum, dicant homines fuiſſe ſine literis, ſine ingenio, vocent jam ſimplices, jam præcipites appellent, atque inconſideratos: actum agunt. Quamprimum enim ſibi propoſuerunt priſcam, veramque doctrinam & puros Eccleſiæ mores deſerere, neceſſaria conſecutione primo omnium auctoritas Sanctorum illis evertenda fuit. Nihil enim apud hos, quod cum eorum novitatibus non pugnet: & Euſebius Cæſarienſis *L.* 7. *cap.* 26. S. Gregorius Nyſſenus *Orat.* 6. *in Eunomium*, graviſſime vero, lateque S. Anaſtaſius Sinaita *cap.* 7. *Viæ Ducis*, ſed & S. Bernardus *Epiſt.* 189. & 190. *ad Innocentium Papam* dudum eam hæreticorum in Patres licentiam notaverunt. *

Quamquam ſi verum fateri volumus, turbulenta ingenia nequaquam ſibi vel hac in parte unquam conſtiterunt: ſed pro temporum ac locorum diverſitate Patrum ſententias jam exceperunt reverenter, jam exploſerunt, prout nempe eorum rationibus vel commodare, vel officere viſi ſunt. Ubi adverſari ſibi putant, deprimunt quantum poſſunt, aut

 abji-

* De hæreticis poſterioribus plurima, quæ in Patres effutierunt, dant Edmundus Campianus in 10. *Rationib. Rat.* 5. Florimundus Ræmundus *L.* 3. *cap.* 11. *n.* 6. Franc. Feu-ardentius in *Præfat.* Editionis *operum S. Ildephonſi:* Cur vero Patribus tam infenſi ſint hæretici, præ aliis prælare oſtendit Campianus *ibid.*

abjiciunt penitus: contra ſicubi ſpecie tenus aliquid pro ipſis habent, continuo involant, ambabus manibus arripiunt, & cum triumpho quodam oſtentant. Ita jam antiqui hæretici, ita Ariani cum Antenicænis Patribus, ita Pelagiani cum græcis egerunt, ita Eutyches SS. Cyrilli & Athanaſii, Wiclefus Auguſtini auctoritatem ſuis erroribus obtendebant. Ipſe Lutherus primo tempore perverſionis non ſolum modeſtius ſe geſſit erga Patres, ſed pertrahere eos etiam ad partes ſuas modis omnibus adlaboravit. Id quod non ſolum ex diſputationibus cum eo ſuſceptis, ſed ſcriptis quoque nonnullis, tum quidem editis, patet evidenter. Calvinus, qui non raro illiberaliter Patres tractavit, & vero in *Præfatione ad Inſtitutiones ſuas* nævos in iis multos ſe, nec parvos putat deprehendiſſe, tamen cum alias ſæpe, tum eo ipſo loco illorum ſe clypeo tegit: itaque ſervire eos nobis cupit, non dominari; & in *ſyntagmate Confeſſionum Proteſtantium* pro ſingulis doctrinæ articulis *teſtimonia veterum, qui Patres dicuntur*, allegat. Sed noſtro quoque Sæculo venenatiſſima ſecta, in qua abortienda Draco antiquus tota, atque intima viſcera concuſſit, & cujus virus non Eccleſiam tantum Catholicam, ſed religionem omnem revelatam petit, ſub belliſſimo nomine *Diſcipulorum Auguſtini* ſe oſtentat ambitioſe. * Denique Sociniani Arianorum poſteri in hoc etiam Magiſtros imitantur, quod antenicænis Patribus honorem habent, & verbis eorum ubicunque poſſunt, abuti conſueverunt. Verum hoc modo Patribus honorem habere velle, eſt & ipſis, & nobis omnibus, maxime vero ſibimet illudere. Idem de illis quoque

* Quomodo ſolus Auguſtinus omnium pœne hæreticorum condimentarius ſit factus, oſtendit Theophilus Raynaudus in *Hagiologis*, *Lugdun. pag.* 497.

que jure tuo dicas, qui, incredibile eſt, quot modis verba illorum torqueant, mutilent, facie alia fucata repræſentent, ac ſutorum inſtar in corio ſuo ludentium diſtrahant.

18. Alii nihilominus ex heterodoxis ſunt non pauci, præſertim recentiores, qui Patribus haud parum æquiores ſe hac in parte præbuerunt. Nota eſt Hugonis Grotii, quo illi majorem virum non habent, peculiaris moderatio, imo honor haud raro Patribus prolixe impenſus. Sed & Jacobus Uſſerius homo doctiſſimus æquo animo ferre non poteſt Patrum contemptores. Guilielmus Cave cum in *Epiſtola Apologetica adverſus iniquas Joannis Clerici criminationes*, tum alibi, copioſe etiam, nec frigido ſanguine in Patrum adverſarios conſurgit. Joannes Fellus Oxonienſium, ſi ſuperis placet, Epiſcopus, cum ad finem præteriti Sæculi ſanctum Cyprianum novis curis ederet, aperte eorum ſe hoſtem profeſſus eſt, qui, ubi humani quid paſſi ſunt Patres, velut filii degeneres, atque ingrati, imo Chami Nepotes nuda oſtendunt, quæ obtegere ipſi debebant, ne a quopiam alio porro videri poſſent. Scrivenerus pariter Anglus Apologiam, eamque accuratam pro Patribus Dallæo objecit, magno popularium, maxime vero Epiſcopalium conſenſu, ubi hominis illius arrogantiam, atque ineptias caſtigans, oſtendit luculenter, neminem aptius ad decidendas fidei controverſias, quam antiquos Doctores adhiberi, homines præjudiciis illis omnibus vacuos, quibus noſtra ætate omnia ſcatent: animo, ait, nonniſi optimo, charitate minime ficta, ſummoque candore ſcripſiſſe omnes, neque tam libere (uti nos conſueverimus) in differendo de rebus omnibus, atque audacter verſatos. Quodque notari vult maxime, Sacros Codices, variumque Scripturæ ſenſum & rimatos diligentius, & felicius etiam, pleniusque aſſecutos.

19. Sed

19. Sed quando jam e ſcopulis enavigavit oratio, e quæſtione ſcilicet dogmatica, cujus declaratio e theologica partim, partim hiſtorica diſciplina dependet, ubi parum ingenio, eloquentiæ autem vix quidquam licet, ſed rerum ipſarum pretio duntaxat, & eorum auctoritate ſtandum, quorum id proprium eſt pertractare: Hieronymi verbis omnes quidem, præſertim vero divini verbi præconem quemlibet rogo iterum, atque obteſtor * *Nihil tibi vendices, majorum ſequere veſtigia, ab eorum auctoritate non diſcrepes.* Qam in rem & Jeremiæ graviſſima verba faciunt, qui *cap. 6. v. 16.* ita monet: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris.* Sed & *Eccleſiaſtici cap.* 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a Patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*

Quid autem (jam in portu conſtitutum aliquis interpellat) quid autem ſi errores obrepſerunt Patribus, & eos dum lego, in ea ſubin incidiſſe me video, quæ haud paulo accuratius, ſolidiusque dici potuiſſent? Id nempe ſolum inde ſequitur, legere nos eos non ſolum cum delectu, atque judicio ut homines, ſed cum modeſtia quoque & reverentia tanquam Patres debere. Ut quid enim tanti clamores ad errorem aliquem ſacri doctoris? veritatis fortaſſe ſtudio? At huic ſæpe magis prodeſt obliterare quædam, & in tenebris relinquere, quam protrahere, & ad lucem palam oſtentare. *Ne damnemus Patres*, ait S. Hilarius in fine Libri de Synodis; *ne animemus hæreticos. Ne, dum hæreſim expellimus, hæreſim nutriamus.* Hanc in rem cautiones quasdam ex Dionyſii Petavii *Prolegomenis in dogma-*

* In *Caput* 12. *Eccleſiaſtici*, *v.* 12.

dogmata Theologica juvat afferre, viri ſcilicet illius, cui quantum in omni genere literarum tribuam, non poſſum ſatis explicare. Libenter enim affero celeberrimorum hominum teſtimonia; propterea & ex Cano ſupra exſcripſi plurimos verſus, & nunc Petavii Canones, uti ſunt, totidem verbis admetior. Si cui minus id placet, cogitet ſane, iis auſcultare ſe, qui in utroque foro ſeveriorum æque, ac manſuetiorum literarum meruerunt, & ſive oratores inter, ſive inter Theologos verſarentur (verſati autem ſunt diu, nec ſine maxima laude verſati) ingenium ſummum cum judicii acrimonia, & eruditionem ſingularem cum induſtria admirabili conjunxerunt. Has itaque Petavius ſecundo capite dicti operis regulas ſtatuit.

„ Harum prima, uti par eſt, ad officii legem „ & virtutis, hoc eſt ad imbuendum voluntatis „ affectum attinet, ut erga illos pium hunc & placidum cum reverentia quadam, & honore ſervemus, nec contemptim eos atque inciviliter „ habeamus, ſi qua in re titubaſſe viſi ſunt nobis, „ aut ab illis utcunque diſſentimus. Meminiſſe „ hoc enim oportet, quod pulcre ſcriptum eſt a „ Facundo Hermianenſi, * errores Patrum luminarium eſſe defectus, quæ licet nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen „ amittunt luminaria eſſe, quod ſunt. Cujus rei „ ſingulare nobis exemplum præbet Auguſtinus „ cum adverſus Cypriani de hæreticis denuo baptizandis errorem contra Donatiſtas diſputat. Nunquam enim niſi honorifice de eo loquitur, nec „ ſine præfatione veniæ, non tam eum, quam „ opinionem ipſam, in quam incautus, ac neſciens „ impegerat, refellit, & arguit. Hujus ſpecimen „ in

* *Libro 6. pag. 262.*

„ in uno loco demonſtrare ſatis fuerit. In *Libro 6. de Baptiſmo contra* Donatiſtas *cap.* 2. Quapropter, inquit, reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo perſolvens pacifico Epiſcopo, & glorioſo Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de Schismaticis vel hæreticis baptizandis, quam poſtea veritas prodidit &c. Igitur ſi quo in errore deprehenſos magnos illos viros a nobis dimittimus, non niſi cum honore faciamus vel Platonis imitatione, qui ab illa, quam deſcribebat, republica cum Poëtas propemodum omnes, tum præ omnibus Homerum ablegans, hunc ipſum citra ignominiam, atque etiam honorifice quaſi extra civitatem deduci juſſit, vittis prius albis redimitum, & effuſo in ejus caput unguento pretioſiſſimo; quod non ſine exprobratione refert Ponticus Heraclides. *

„ Altera eſt cautio, ut ne temere illos, ac niſi magno cum judicio notemus erroris: ſed ſi qua in eorum libris leguntur ambigue dicta, quæ ex aliis eorum ſententiis explicari, excuſarique poſſunt, teneamus hoc potius, quam illi falſæ aliquid opinionis adſcribamus. Hanc regulam prudenter, copioſeque præſcribit Facundus Hermianenſis in Libris de tribus capitulis, cujus operis argumentum ex illo fere loco dependet. Primum ita in nono libro ſcribit: ** Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt ex dubiis vel obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt, male interpretari; ita ſolitum eſt prudentiæ, ac pietatis catholicæ ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare; ideoque melius facimus, ſi virorum doctiſſimorum in pace Eccleſiæ mor- „ tem

* In Libro *de allegoriis Homeri.*
** *Cap.* 5. *pag.* 397.

„ tem obeuntium ſcripta melius interpretemur. „ Et paulo poſt de Neſtorianis agens: Nam ſi illi „ clariſſimos, inquit, Eccleſiæ Doctores ſuæ parti „ volentes applicare, ſententias eorum Neſtoriano „ dogmati manifeſte contrarias ex aliis minus „ apertis obſcurare conantur, & in ſuam detor- „ quere ſententiam, multo magis nos ea, quæ „ dubia videntur in eorum dictis, melius inter- „ pretamur ex his, quæ certa ſint. Et in unde- „ cimo Libro docet, * non tam ſecundum ver- „ borum ſonos, quam ſecundum mentis intentio- „ nem judicanda eſſe dicta Majorum. Et poſtea: „ Quid ergo, inquit, ſi aliquis Theodori, vel „ cujusquam in Eccleſiæ pace defuncti nobis error „ apparet, adprobandus, atque ſequendus eſt? abſit. „ Sed quærendum eſt prius, & cum inſtructiori- „ bus conferendum, ne quod culpabile nobis ap- „ paret, ab auctore ſuo alia intentione prolatum „ ſit: nec ex eo, quod nobis videtur, non inter- „ rogatus judicandus eſt ille, qui dixit; maxime „ ſi alia dixiſſe inveniatur contraria illi errori, in „ in quem creditur incidiſſe. Eſt & ejusdem Fa- „ cundi laudanda de antiquis Patribus iſta ſenten- „ tia: ** Sicut illorum doctrina, qui extra Eccleſiam „ conſtituti multa vera, & neceſſaria conſcripſerunt, „ non poteſt pro iisdem rectis, & neceſſariis catho- „ lica judicari: ita domeſticorum Eccleſiæ doctrina, „ vel ſi in aliquibus oſtendantur erraſſe, non pro eis „ condemnanda eſt velut hæretica. Cujus diſcrimi- „ nis rationem poſtea ex *intentione* repetit; quia „ dictorum offenſionem dicentium excuſat intentio, „ ſecundum quam de verbis melius judicatur.

„ Tertium illud in tractandis veterum ſenten- „ tiis adhibendum eſt, ut non tantum eosdem „ ſecum

* *Libro* 11. *Cap.* 3. *pag.* 473.
** *Ibid. cap.* 6. *pag.* 489.

„ ſecum, ſed diverſos inter ſe comparemus, „ atque ut aliorum, pluriumque conſenſum „ paucis anteponamus, qui paululum ab vero, „ communique decreto aberraſſe videbuntur. „ Quem locum egregie perpolitum habes apud „ Vincentium Lirinenſem in libello contra „ hæreſes, ubi præcepta dat ejusmodi, quæ non „ minus liquida, ac ſinceræ Theologiæ, quam „ orthodoxæ fidei indagatorem ſtrenuum adjuvant. „ Nam tria ſequenda eſſe dicit, univerſitatem, an- „ tiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem „ univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem „ veram eſſe fateamur, quam tota per orbem ter- „ rarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero „ ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, „ quos Sanctos Majores, ac Patres noſtros celebraſſe „ manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, „ ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe pene „ omnium Sacerdotum pariter, ac Magiſtrorum „ definitiones, ſententiasque ſectemur. Ac paucis „ interjectis admonet, ut cum aliqua de fidei ve- „ ritate quæſtio incidit, operam det quisque, ut „ collatas inter ſe Majorum conſulat, interroget- „ que ſententias, eorum duntaxat, qui diverſis „ licet temporibus, & locis in unius tamen Eccleſiæ „ catholicæ communione, & fide permanentes Ma- „ giſtri probabiles extiterunt, & quidquid non unum „ & duos tantum, ſed omnes pariter uno, eodem- „ que conſenſu aperte, frequenter tenuiſſe, ſcri- „ pſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intel- „ ligat absque ulla dubitatione credendum. Atque „ hoc deinceps exemplis utiliter oſtendit.

„ Duo ad extremum in uſu Patrum obſer- „ vare convenit, alterum quod Theodoretus ad- „ verſus hæreſes notavit * ſæpe modum illos exceſ-

* *Tom. 4. pag. 170.*

„ exceſſiſſe in diſputandis, ac declarandis divinis „ dogmatibus, cum adverſus Eccleſiæ hoſtes pu„ gnam conſererent. Quod ipſum agricolis quoque „ ſtirpium cultoribus uſuvenit, qui cum incurvam „ aliquam plantam viderint, non ſolum ad rectam „ normam erigunt, ſed etiam ultra directum in „ partem alteram inflectunt, ut ex vehementiori „ in contrarium inclinatione ad rectum ſtatum „ perducatur. Quod Hieronymo interdum acci„ diſſe ſcimus, nec non Auguſtino, & ex Græcis „ Chryſoſtomo, ex quibus, uti ceteros taceam, „ capi exempla multa poſſunt illius inſtituti. Al„ terum non omnibus in libris, ac locis omnia „ tractare, ac tradere Veteres, ſed in unum ali„ quid intentos alia prætermittere, aut levius, at„ que obſcurius exponere, præſertim de quibus „ nulla adhuc exorta quæſtio ſit, aut adverſan„ tium hæreſum veluti tempeſtas, ac procella, „ contra quam acriore ſtudio, vigilantiaque niti „ oporteat. Tum enim incurioſos illos, ac minus „ accuratos ſecuritas ipſa reddidit, quæ ſtulte, ac „ maligne ad præjudicium trahatur deprehenſi, „ damnatique poſtmodum erroris. Id in pleris„ que Catholicæ Religionis myſteriis eveniſſe no„ runt, qui vel mediocrem uſum habent in his „ literis, ut in Trinitatis negotio, nec non Gra„ tiæ, ac peccati Originalis. Ac paſſim Auguſti„ nus contra novos tum hæreticos Pelagianos „ hujuſmodi tam ſui, quam aliorum excuſatione „ utitur, ut nos ſuis locis meminimus. „

Ita Clariſſimus hic doctor, ita & alii. Et fere quo doctiorem aliquem legi, eo reverentiorem inveni. Tantum abeſt, ut iis etiam, quæ minus recte Patres ſcripſerunt, adverſentur, ut benigne accipiant ſemper, leniant prolixe, & officii ſui ducant in meliorem partem trahere, quodque majus eſt, contrarium agentes temeritatis, & pervicaciæ

 poſtu-

poſtulare. Quibus ego quod addam, non invenio, niſi quod in ſuſpicione aliqua erroris videndum quoque ſolicite eſt, an ex legitimo, an ſuppoſititio partu ſit locus ille, id quod facillimum eſt Criticos ad manum habenti. Item ut locus idem integer, nec avulſus a reliqua ſerie orationis conſideretur. Iterum diſquirendum, an Pater ille ſuo, vel alterius nomine, an aſſerendo, vel dubitando, denique uti Vincentius Lirinenſis etiam monet, an exaggerando pro concione, ac per hyperbolem, ſeu ſuperlationem, an ſtrictiore demum, & rigido magis ſenſu id proloquatur.

20. Cætera, quæ circa errores, antilogias, hallucinationes in ſcientiis profanis, difficilibus item, ac Spinoſis locutionibus &c. Patrum pluribus objici ſolent, non eſt hujus loci ſingillatim expendere: quando præſtantes ſunt Theologi, qui id fuſe, & cum cura præſtiterunt, uti Natalis Alexander *ad II. Eccleſiæ ſæculum Diſſertatione 16.* §. 22. & 23. Petrus Annatus *in Apparatu L.* 4. Joannes Mabillon *Parte 2. Tract. de ſtudiis Monaſtic.* Ubi ordine ſæculorum difficultates eas enumerat, ad quas impingere lector novus poſſit, ubi primum ad Patres accedit. Sed & Bonaventura Argonenſis huc facit *Parte 2. a cap. 7.* Jacobus Spreng in *Theologia Patrum vindicata.* Adrianus Kembler *Introductione ad Theologiam Patrum*, maxime vero ipſe Petavius *in Dogmatis Theologicis.*

21. Quod ſi vero quis ne iſtis quidem contentus, plura adhuc velit, ubi Patrum auctoritatem ſive quorundam ſpeciatim, ſive generatim omnium expendat, is ſane præter paulo ſuperius in decurſu capitis memoratos legat Theophilum Raynaudum Tom. X. a pag. 232. & Tom. XV. a pag. 331. librum gallicum P. Laubruſſel: *Traité des Abus de la Critique en matière de Religion.* 1710. Honorati a S. Maria *Animadverſiones in regulas, & uſum Critices,*

tices, ubi Cenſores ætatis ſuæ Tillemontium, Bailletum, Ruinartium, Simonium, Dupinum, & Natalem Alexandrum quam callide, tam acriter depexuit: Alphonſi Baptiſtæ Dominicani *Defenſionem Apologeticam pro auctoritate SS. Patrum.* Lamindi Pritanii id eſt Ludov. Anton. Muratorii *Librum de Ingeniorum moderatione in negotio Religionis* contra Joannem Pherepoaum id eſt Joannem Clericum: Claudii Fleurii *Diſſertationem ad prima 6. ſæcula* §. 16. & 17. P. Merlini Apologias varias contra Baylæum. Remigii Ceillier opus gallicum, cui titulus: *Apologie de la Morale des Peres.* 1718. quod Barbeiracio, & Damiano Romano oppoſitum eſt. Denique P. Petri Thomæ a S. Barbara Carmelitæ *Criticen apologeticam veterum PP. Florentiæ* 1762. Tomis tribus *in* 4. editam.

CAPUT II.

Quantum ex hac auctoritate pondus Eloquentiæ Patrum accedat.

22. Poſteaquam de auctoritate Patrum, quam ab antiquitate, ſapientia, ſanctitate, aliisque ornamentis in Eccleſia obtinent, generatim diſputatum eſt, nunc ſingillatim & illam quoque conſiderabimus, quam in Cathedra Eccleſiaſtica, ſuggeſtuque templorum, unde ad populum verba fiunt, maximam omni retro ætate ſunt conſecuti. Hoc nempe forum ipſis proprium, hæc roſtra, hic campus ille ampliſſimus, ubi eloquentia eorum cœleſtis ſicuti olim, cum viventes myſteria, legesque religionis explicarent, & hæreſes protererent, glorioſe invecta eſt, ita hodieque victrix, ſine ullo obice decurrat. Igitur ex omnium, quotquot fere de Sacra Eloquentia ſcripſerunt, communi ſententia ſtatuendum eſt, poſt divinorum voluminum auctoritatem nihil grandius, efficacius nihil afferri ad

Cathedram ſacram poſſe, quam quod ex Patrum promptuariis petitum, delectuque facto, argumento noſtro attemperatum ſit. Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccl. diſciplin. Part. II. Libr.* 3. *c.* 85. mentem Conciliorum quorumdam fuiſſe docet, uti Epiſcopi non tam ſuas Conciones haberent ad populum, quam habitas a Patribus recitarent. Et certe Orator Patrem eum, ex cujus doctrina profecit, quaſi redivivum in ſuggeſtum producit, oſtendit ſpectanti populo, atque ad pondus, & confirmationem dictorum teſtem locupletiſſimum, auctoremque irrefragabilem allegat. Quod quam commendabilem efficiat orationem, quantum ipſi ſuggeſtui ſplendoris conciliet, quantum addat auctoritatis, quam attentum, obſequentemque reddat auditorem, facile mihi fuerit, pluribus etiam ex capitibus demonſtrare. Et profecto quis melius inſtruat populum iis præceptoribus, quos a Magiſtro cœleſti ſubrogatos ſibi accepimus, & qui hæreditatem *oris, & ſapientiæ* Apoſtolis promiſſam, ut legitimi ſucceſſores, quanta quanta eſt, totam adierunt? adde quod in eo officio, atque exercitatione prædicandi annos vitæ quam plurimos poſuerunt, incredibili cum fructu, atque innumerabilium hominum converſione: & quod libros ſuos eo fine ipſi elucubrarunt, uti hac ratione prodeſſent poſteris quoque, & utilitas multiplex ad noſtra usque tempora promanaret. Itaque e Patrum venerando cœtu, & aureis Eccleſiæ ſæculis orator quispiam, qui potens ſit *opere, & ſermone, cujus os ex abundantia cordis loquatur*, qui eloquentiæ non vulgari dignitatem inſuper, & ſanctitatem adjecerit, cujus verba omnia exemplis nitantur, quique nihil doceat alios, quod non abunde ipſus ante præſtiterit: talis, inquam, orator productus ad Concionem non tam e medio Sacerdotum aſſurgere ad dicendum videtur, quam veluti cœlo ipſo demiſſus ſpectatur a populo, &

ſuſpi-

ſuſpicitur. Quidquid dicat, pro poteſtate dicit, ſententiæque ejus omnes, imo apices quoque oraculi inſtar excipiuntur. Occurrunt ſimul animo cognitio ejus intima divinarum literarum, ſtudiaque & artium, & Religionis, quæ viri illi præſtantes perpetuis commentationibus a puero imbiberunt, & de quibus paulo poſt ſpeciatim plura dicemus. Occurrit lingua ſoli veritati dicata, & in divini Spiritus veluti officina quadam fabrefacta, atque procuſa: occurrit dignitas ipſa Paſtoralis, & tot ab ore pendentium hominum examina: occurrit quoque vivendi ratio admiranda, quæ perpetua vitiorum cenſura, norma honeſtatis, & virtutum omnium grande Theatrum fuit: Fides inſuper illa viva, atque immobilis, mens ſerena ſemper, & partim conſcientiæ ſecuritate, partim æternæ felicitatis expectatione erecta, quam amarent boni, improbi timerent, & quæ nullis humanæ vitæ ſeu illecebris, ſeu terriculamentis quibusque a cœpto ſemel curſu pietatis vel minimum poſſet retardari. Occurrit candor amabilis, demiſſio animi, intimæ cuidam gravitati, & prudentiæ conſerta, quæ nihil opinionis cauſa faceret, omnia tribueret ſuperis, mundum hunc pro exilio reſpiceret, ſolumque in Chriſtum, dictorum, factorumque cenſorem intenta eſſet. Occurrit cultus exterior prô! quantum remotus a temporum noſtrorum levitate; cum vel domi in ſolitudine laterent, nihil a plebe diverſi, vel tum quoque, quando erat in templo agendum, & prodeundum in publicum, nulla pompa ſtipati, ſolas virtutes ſuas comites adhiberent. Quid dicam de familiaritate cum Deo ſuo, qua abſorpti & cum ad exteriora effunderent ſeſe, haud ſecus, ac hominum cuſtodes præſidesque angeli, hærebant tamen toti origini ſuæ, & ſe illico ad divinitatem veluti centrum ſuum recipiebant, ſola ſpe utilitatis animarum a precibus & contubernio divino abſtrahendi? Quid dicam

cam de puriſſimo omnes juvandi ſtudio, quo, nullo diſcrimine, barbaros etiam, & abjectiſſimos homines tanquam divino ſanguine emptos æſtimabant, amoreque tenerrimo velut in viſceribus circumferebant? De amore autem Dei quid memorem, qui ſermonem omnem, & captum ſuperat, ad cujus ardorem conflati, & eliquati illi nihil præter ipſum aut loquebantur, aut ſuſpirabant? Quid de ætate inter labores exacta, cum inquieti ſemper, jam pauperes, miſeroſque juvarent, jam in latentes hæreticos inquirerent, jam inſtruerent neophytos, jam ob unicam, quæ errabat, oviculam percurſarent vias omnes, inventamque eam, & ereptam luporum faucibus cum paſtore divino ad gregem propriis humeris reportarent? De præliis quid addam, palmiſque, ac triumphis, quos retulerunt? cum jam velut murum objicerent ſe pro Eccleſiæ propugnaculis ſtantes, jam decoro pulvere ſordidi procurrerent foras, aperto campo hoſtes fidei funderent, fulgentiaque arma circumferrent? Quid de eo quoque dicam, in quo maxime cogniti ſunt, & cœlo ipſi ſpectabiles extiterunt, ubi ſcilicet cum adverſitatibus commiſſi ſuis capitibus tela, & furorem impiorum excepere? ubi torrenti illi moris humani colluctabantur, & inimicorum calumniis, machinationibus, flammis, & enſibus præter patientiam, & conſtantiam nihil oppoſuerunt? quid poſtremo de ſancta morte, quam obierunt, vivere parati quidem, ſed mori minime timentes, dum beatiſſimam ſenectam tranquilla in ſtatione componerent, plenamque cœleſtibus divitiis onerariam optato in littore collocarent? Iſta ſunt, quæ cuivis fere jam ſingula, jam univerſa ſe offerunt, ubi Patrum eloquentia pro ſuggeſtu adhibetur *. Multo autem magis

* Vide Emmanuelem Theſaurum *Tractation. de Sacr. Concionum Enthymemat.* ubi vim hanc vel ad ſingulas ſententias firmandas &. ipſe agnoſcit.

magis id legentibus accidit. Hi enim putant, non potuiſſe eos aliter ſcribere, quam vixerunt, ut S. Gregorius de S. Benedicto dixit, atque adeo ſtylum eorum redolere vitam eorum. Aut quis exempli cauſa Athanaſium aliquem legens non ſimul geſtorum meminit viri ejus, qui Imperatorum potentiam, rabiem hæreticorum, & conjurati in ſe pene totius orbis impetus excepit intrepidus, & glorioſe etiam triumphavit? cui Gregorii Neocæſarienſis, quem Thavmaturgum dicunt, accepto codice non & miraculorum multitudo ſe offert, pulſi dæmones, montes translati, ſurentibus fluviis poſiti limites, ampliſſima, frequentiſſimaque civitas, quam Ethnicam acceperat fere totam, ita immutata, ut quot ante chriſtiani eſſent (erant autem aliquot tantum) totidem jam eo moriente gentiles ſupereſſent? quis Chryſoſtomum in manus ſumit, quin tuba illa argentea inſonet auribus, illudque exemplar eloquentiæ popularis, illum terrenorum omnium contemptorem animum miretur, qui præter peccatum nihil timens, poſteaquam ex eremo velut alter Joannes prodiviſſet, Antiochiam omnem excivit, atque commovit: & inde ad dicendum in urbem regiam accitus, in ſentina ea, ac colluvie vitiorum tantam retinuit libertatem, ut & Auguſta capita eum extimeſcerent, populus veluti communem patrem amaret, & conſequentium deinceps ſæculorum memoria ad hunc diem in oculis ferret? cui, ſi Auguſtinum, ſi Hieronymum terat, non pectus illud obverſatur, quod divinæ ſapientiæ ſacrarium quoddam fuit, cor rebus omnibus humanis ſuperius, laborum ſi non patiens corpus, at eo avidior animus, Zelus honoris divini ardens, monſtra illa hæreticorum pedibus ſubjecta, quæ partim ſtylo, partim conſilio ſuo quam plurima confecerunt?

Hac autem ampliſſima imagine objecta, his cœlo afflatis, pleniſque Deo hominibus obverſantibus,

 quis

quis non aſſurgat continuo, arrigat aures, mentem advertat? quis non cum videt, quam longe abſit ab inſtitutione, & vita hac ſublimi, pudorem concipiat ſalutarem, deſcendat in ſeſe, & de vita emendanda deliberet ſaltem? nimirum unctio quædam ineffabilis, & cœleſtis odor inde exhalat, qui verba dicentis comitatur, perfundit auditorem, itaque defixum tenet, ut pudeat ultra refragari. Quod S. Gregorius Nyſſenus in *Orat. de S. Ephræm.* de ejus lugubri eloquentia dixit, idem de aliorum Patrum ſive gravi, ſive amœna, ſive vehementi oratione dicas: *Et nunc fere cunctos ipſius ſermonum auditores ad veram amplectendam vitam revocat. Tantam ipſius mixta lacrimis vim continet oratio. Quis enim ita duro, & adamantino eſt corde, qui ejus verba audiens non manſueſiat, morumque aſperitate abjecta de ſuis ipſius peccatis ex animo non doleat? quis adeo ferus eſt, & immitis, qui ſalutarem ejus doctrinam auribus percipiens, tempus non deploret, quod perperam tranſegit? quis adeo immanis, atque crudelis, qui ſimul ac verba ejus quovis melle dulciora guſtaverit, non ſe mox mitem, amabilemque omnino exhibeat? quis abhorrens a lacrimis ita ſe tradidit voluptatibus, quin vel pauculis illius verbis auditis retributionem illam, quam pro vita aute acta accepturi ſumus, in memoriam reducens, non lamentetur, ac lugeat? In rebus impoſſibilibus illud paſſim uſurpant proverbii: Lapidi miſericordiam perſuades. At iſtud fieri poſſe nos experimento didicimus. Sanctus quippe hic ſenex animos, quos ob malam obſtinatamque duritiem lapides dixeris, plane emollivit, ac fregit, flexitque, ut voluit. Quis ejus de humilitate orationem legens, non omnem mox de ſe exiſtimationem, ſtultamque arrogantiam deponat, ac ſe omnium abjectiſſimum confiteatur? quis ea, quæ de charitate ſcripſit, lectitans, non ſic accendatur, ut ad quodvis etiam ſubeundum periculum paratus ſit? quis illa evolvens, quibus virginitatem laudat, non ſe Deo*

caſtum

caſtum corpore, animoque offerre contendat? quis audiens, vel legens ejus ſermones, quibus judicium extremum, ſive ſecundum illum Chriſti adventum deſcribit, non ita corde, & animo afficiatur, quaſi ad illud judicium jamjam ſiſtendus eſſet, metuque repente ſic exhorreſcat, ac ſi adverſus ipſum ſententia judicis feratur? nam ita futurum Dei judicium accurate, ac plene expreſſit, & ob oculos omnium ſtatuit præclarus, ac Sanctus hic vir, ut ad ejus cognitionem aliud nihil videatur deeſſe, niſi ut res ipſa agatur, ac coram fiat,

Profecto viros ipſos eloquentes, & Magiſtros dicendi (quoties enim iſtuc confitentes de ſe audivi?) ita plerumque rapit ſacra ea Vetuſtas, ut non tam quomodo, ſed quid dicant, attendere poſſint, unamque ſæpe ſententiam tam profunde excipiant pectoribus, ut totam ſimul pompam, ſpeciemque graviſſimæ ſanctitatis animo circumferant. Paucis dicam, ut ſentio, raro contingit, uti verſum ex Patribus cum judicio, & loco ſuo adhibeas, nec aliquibus ſaltem prolis. His enim ſuffragatoribus nemo reſiſtit, apteque ſingulis his Doctoribus tribuas, quod Sacer Hiſtoricus *L.* 1. *Regum cap.* 3. *v.* 19. de Propheta Domini Samuele affirmat: *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.*

23. Quibus omnibus perpenſis vere dici poteſt, Patres, ſi pro concionibus adhibeantur, quodammodo hodie adhuc docere e Cathedra, & nos non minus, quam ſuos olim informare ad fidei, morumque integritatem. Itaque hoc iterum loco hortor, & hortari porro per decurſum operis non deſinam divini verbi præcones univerſos, uti gemmas ejusmodi, & ceterum dicendi apparatum colligere e Patribus inter primas officii ſui partes ducant, & jam documenta præclara inde mutuando, jam affectum aliquem ab iis cœptum proſequendo, jam ipſam materiem petendo, jam imitando aliqua, aut etiam in patrium ſermonem

transferendo populum paſcant, certi ſcilicet, quod nec honoris ſibi inde decedat aliquid, auditori vero commodi plurimum accedat, tum ob firmitatem, quam habent, medullam ſpiritus, variamque ad tractandos, & movendos animos efficacitatem: cum denique propter ipſam illam populi erga Sanctos communem, & quaſi inſitam venerationem. Si enim tantum pleriſque ſtudium eſt, quo in talium hominum, præſertim antiquiorum oſſa, & reliquias feruntur: ſi hæc præ omni ſplendore templorum aſſiciunt, menteſque ſimul cum oculis tenent: ſi videntur ſibi quidem ipſummet Cælitem illum adhuc ſpirantem cernere, ſi imbuuntur amore religionis, ſi abſque ſenſu pietatis non accedunt propius, ad contactum vero ea omnia faciunt, quæ homines conſternati, atque attoniti ſolent: nunquid ipſorum voces, & ſenſa non raro a Numine inſpirata minus in animos poterunt? Percommode huc Eraſmus * illa ipſa ſtudia reſpiciens Divorum exuvias exoſculantium & aureis, gemmatiſque thecis reponentium, ita conqueritur: Et eorumdem libros, ſanctiſſimas, & efficaciſſimas reliquias neglectas jacere patimur . . . & . . . in quibus id, quod illorum fuit optimum, nobis adhuc vivit, ſpiratque, cimicibus, tineis, & blattis impune rodendos relinquimus!

24. Verum & alia præterea ſunt, & minime contemnenda illa quidem, quæ auctoritatem Patrum in Concionibus ſingularem eſſe debere, familiarius etiam perſuadeant. Quod enim amabo aliud fere Patrum negotium, quæ intentio alia, quam divinorum Librorum explicatio eſt? atqui in ea re ſum-

* In *Nuncupatoria operum Hieronymi*. Nemo autem Catholicus truncata hominis verba miretur. Neque enim mea poſſum facere, quibus quantam Sanctorum Scriptis reverentiam defert, tantum Reliquiarum contemptum prodit.

ſumma illis auctoritas aſſerenda eſt, nullusque Scriptorum poſteriorum, quantuſcunque ille ſit, & maximæ etiam celebritatis, non dico præponendus, ſed nec in comparationem quidem admittendus. Contrarium ſentient plurimi, nullus dubito, tametſi a verbis temperant ſibi, & edicere niſi inter æquales pertimeſcunt. A quibus æquitatis jure aliquo poſtulamus, uti audiant nos, qui & ipſi veritatem, quantum fieri poteſt, propoſitam ubique habemus, neque præjudicatis opinionibus tanta in re transverſum agi nos ſinimus. Itaque vel naturali ſolum ratione nunc dicam, quo loco eſſe apud nos Patres oporteat.

Sit enimvero, poſteriores etiam Sanctos, atque Doctores promoviſſe plurimum: quibus tamen illi debent eruditionem ſuam? ex quibus profecerunt? a quibus non raro exſcripſerunt illa omnia, quæ tantopere in illis ſolemus admirari? Inventis multis plura addiderunt, quod facile eſt: itaque patentes illi fontes coronandi ſunt, ex quibus tam liberaliter hauſtum eſt, quidquid per rivulos conſequenter dividitur, atque decurrit *. Sed neque hoc prætereundum, quod in profano quodam legiſſe me juvenem memini ** : quando poſteriorum aliquis plures antiquos ſimul ſumptos amplitudine eruditionis ſuperat: quid inde conficies vir bone, quid inferes, niſi iſtuc duntaxat, talem virum adjumentis, præſidiiſque innumeris, quibus Veteres carebant, inſtructum magis fuiſſe? itaque ipſe veluti hæreditatem ſuperiorum omnium adiit, nemini propterea eorum præferendus, quemadmodum Majoribus ſuis Poſteros, & hæredes nemo præponit; quando, quidquid opum habeant, atque divi-

* *Videatur Simonii Reponſe à quelq. Theolog. de Holland.*

** *Diſcours ſur les Anciens, & les Modernes, de M. Fontenelle.*

divitiarum, ab illis collectum eſt paulatim, & ſic longa annorum ſerie demum ad iſtos devolutum.

Alterum eſt, quod Patrum plerique in rem ſcripturarum multum ingenii, & induſtriæ, gravitatis vero, atque judicii plurimum contulerunt. Nota eſt eruditio, & perſpicacia Clementis Alexandrini, Origenis, Tertulliani, Euſebii, Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Cyrilli, Theodoreti, tanta certe, quanta eſſe inter homines poſſit, qui verbum Dei cum voce annuntiare vellent populo, tum ad poſteros etiam ſcriptis transmittere. Scimus, quidquid uſpiam ſæcularium eſt litterarum excuſſiſſe eos, omneſque, qui luculentius ceteris ſcripſerunt, evolviſſe: quoſdam præterea ita valuiſſe ingenio, ut ſupra humanam conditionem videri poſſit. Quis enim non obſtupeſcat, cum Auguſtinum audit Deo teſte invocato * ſe quoſcunque artium libros, atque adeo difficiliores Mathematicorum, nullo hominum docente, aſſecutum per ſe eſſe ſine difficultate, & tum demum, cum aliis explicaret etiam ſtudioſis, etiam ingenioſis, illique ægerrime perciperent, cognoviſſe ſe primum, laborem ineſſe iis debere, maxime, quod videret ab illis præſtantiſſimum judicari, qui remanentibus ceteris ſe præeuntem paſſu propiore paulatim inſequeretur. Sed audiamus in eam rem celeberrimos Cenſores, atque accuratiſſimos Criticos, quos ætas ſuperior ſuſpexit: Bruyerium, inquam, & Bouhourſium, iſtum quidem, quod in politioribus Literis, illum quod in moribus, atque adeo ſcientiis dijudicandis ubique jam obtinuit. Et Bouhourſius quidem *Præfatione in Sententias ingenioſas Patrum Eccleſiæ* nihil hæſitans profitetur: *Eximios hos Scriptores juſtius multo, atque olim Platonem, & Ariſtotelem divinos nobis licet appellare:* nec

* *L. 4. Confeſſ. cap.* 16.

nec negari poteſt, ingenia ætatis ſuæ præcipua, & plerumque omni genere doctrinæ perpolita fuiſſe. Patet, æque dignos fuiſſe, qui in doctorum hominum conventibus conſiderent, de re poetica, & oratoria pronuntiarent, quam in Sacerdotum Sacris Conciliis de Religione, & Moribus ſententiam dixerunt. Neque hoc contentus & iſtud ibidem affirmat: a delicatiſſimis quibusque ac politiſſimis Scriptoribus, qui Auguſti ævo floruiſſent, ſuo quidem judicio, nulla re primorum ſæculorum Patres ſuperatos eſſe.

Alter, Bruyerius, in *Characteribus* ſuis, quos Theophraſto gallice verſo adjunxit, ita loquitur Titulo *de Libertinis*, ſeu nullius Religionis hominibus: *Pater Eccleſiæ, Doctor Eccleſiæ quanta nomina! Et tamen quæ moroſitas, quæ ſiccitas, quam affectata devotio, quamque ſcholaſtica ſors ſapientia obtinet in ſcriptis eorum! Ita loquuntur, qui nunquam illa legerunt. Quam vero, qui ſiniſtram adeo de Patribus opinionem animo impreſſerunt, quam obſtupeſcerent, ſi in operibus illis plures, pulchrioresque converſiones figurarum, majorem elegantiam, ornatum, copiam verborum, vim argumentorum, ſi imagines magis ad vitam, amœnitates propius ad naturam accedentes reperirent, quam in plerisque libris poſteriorum temporum occurrant, quorum tamen lectio multos juvat, & qui quam celebres, tam inflatos reddunt auctores ſuos! Quam delectat amantes Religionis, illam a tam bellis ingeniis, a tam ſolidis, tamque grandibus animis creditam, defenſam, traditam contueri! tum maxime, ubi experientia habetur, quod ſive varietatem, & ſoliditatem doctrinæ, ſive purioris Philoſophiæ cognitionem, explicationem, & applicationem, ſive demum conſecutionum rectitudinem, dignitatem elocutionis, Ethicæque, & ipſorum ſenſuum pulcritudinem ſpectes, quod, inquam, etiam his omnibus ex capitibus præter Platonem, aut Ciceronem nemo ſit, qui Auguſtino alicui conferri poſſit.*

Accedit & illud naturalis rationis, quod vitæ magnam partem in divini verbi commentatione poſuerunt, tanto quidem ardore & contentione animi, ut cum alia noſſent quam plurima, nihil præterea didiciſſe, aut diſcere velle viderentur. Memoria tenebant divinorum Librorum locos, & quaſi præ oculis poſita ſemper haberent, ut res, tempusque ferebat, absque illo *Concordantiarum*, quas dicimus, ſubſidio expromebant. Scripturas manibus, Scripturas ſinu, & ore ferebant, cumque nec in ſtrato dimitterent, ſuper pectus ipſorum cadebant dulces paginæ, vel ſi ſedentibus ſomnus obrepſiſſet, collabentem faciem Propheta aliquis vel Apoſtolus excipiebat. * Ubi Interpretes agunt, in abſtruſis ſubtiles & acutiſſimi ſunt, pluraque præcipiunt animo, quam objici etiam a non incurioſis earum rerum poſſint. Quod inde mea opinione profectum eſt, quod, qui ante ſe commentati in Scripturam fuiſſent ſive græci, ſive latini, omnes conſuluerant magna cura, atque expenderant. Igitur incanuerunt illi in ſacra doctrina, & divinis Libris immortui ſunt.

25. Sed mittamus iſta, ut quæ Principem locum hic non habent, alias ſcilicet, & ſanctiores rationes quæſituri. Primum ad divini verbi intelligentiam, & explicationem iſtuc erat, quod ſanctitate Doctores illi, ac pietate præſtabant præ omnibus aliis deinceps conſecutis. Quod ad hoc genus negotii habere momenti quam plurimum debere, nemo eſt, qui poſſit inficiari. Divino Spiritu interprete opus eſt, eodem nimirum, qui inſpiravit: & quibus hunc dari facilius exiſtimas, quos uberius colluſtrari mentibus illis puriſſimis, quæ tantum rectæ intentionis, ac cupiditatis, tantum tranquilli-

* Quantum ſtudii in Scripturam PP. conferrent, breviter, ſed egregie Campianus docet in *Rationib.* 10. *Rat.* 6.

quillitatis, & malaciæ, omnibus artibus perdiſcendis neceſſariæ, ad ſtudia illa attulerunt? Familiaribus noſtris præ aliis arcana pandimus: atque ita & Deus agit, ſancta ſanctis & divina divinis hominibus pandens, qui affectus eorum & ſenſa penitius induiſſent. Id quod ſæpe Apoſtolis loquens ipſe Chriſtus affirmat. Nam qui ceteris non niſi in parabolis loquebatur, illis jam non ſervis, ſed amicis nota omnia faciebat, promittens etiam, quod cuicunque ſe diligenti manifeſtaturus ſeipſum eſſet. Itaque hic recte illud dicas, quod Guilielmus S. Theodorici Abbas de *vita ſolitaria ad fratres de monte Dei* ſcripſit: *Quo ſpiritu ſcripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt. Nunquam ingredieris in ſenſum Pauli, donec uſu bonæ intentionis in lectione ejus, & ſtudio aſſiduæ meditationis ſpiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipſa experientia ipſos pſalmorum affectus indueris, ſicque de reliquis.*

Sit igitur, poſſe alios eloquentius multo, atque elegantius proloqui, curioſius exornare cœleſtes eas veritates: at cognoſcere, mihique, quæ cognoverit, tradere melius, fructuque uberiore nemo poterit, quam ex ſanctiſſimo hoc cœtu quiſpiam, Spiritus Sancti luce perfuſus, & charitate accenſus. Multus eſt in hoc argumento verſando Caſſianus *a cap.* 9. *usque ad* 14. *collat.* 14. ex qua unicum ſaltem locum, eumque minime prolixum audire non erit injucundum. Itaque cap. 9. nomine Abbatis Neſteros rectiſſime ita ait: *Aliud eſt facultatem oris, & nitorem habere ſermonis: & aliud venas, ac medullas cœleſtium intrare dictorum, ac profunda, & abſcondita ſacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio ſæculi, ſed ſola puritas mentis per illuminationem Sancti Spiritus obtinebit.* Sed & divus Hieronymus *Epiſt.* 13. *ad Paulinum* ex ipſa Scriptu-

ra

ra plures locos expromit, quibus conficiat, obſcura ejus videre, & interiora reſerare qui vellent, divino lumine, & cœleſti quadam clave indigere.

Poſtremo & illud antiquitas peculiare habet, quo neſcio, an quidquam aliud gravius, & luculentius in rem noſtram afferri poſſit. Nempe Patres hac ipſa de cauſa, quod diu ante ceteros vixerunt, propius aberant ab Apoſtolis, & primariis Doctoribus a Chriſto conſtitutis, qui quo pauciora ipſimet ſcripſerunt, eo plura veluti per manus tradere iis potuerunt in tanta temporum vicinitate. Itaque Patres ex primo fonte potarunt, quæ eructant nobis, puro illo adhuc, nulliſque ſordibus turbato. Cumque diſcipuli eſſent, quemadmodum nos ſumus, Magiſtros tamen omnium præſtantiſſimos nacti ſunt, & longe noſtris ſuperiores. Quod video ab illis ipſis animadverſum, quando ſæpius id commemorabant ſollicite, atque eo tanquam invicto argumento introductas ab aliis novitates conterebant. Minime opus eſt Iræneum hic, Tertullianum, Athanaſium, Baſilium, Ambroſium, Vincentium Lirinenſem teſtes vocare: ſufficit Theologos in hanc rem vidiſſe, ubi pro Traditionibus pugnant; fuſe enim iſtuc ſolent, atque ad oculum, quod ajunt, demonſtrare.

Hæc porro ſi ſimul ſumuntur omnia, nemo non videt, quantum inde ponderis Sacræ eloquentiæ addatur. Præter vulgaria enim, & aliis communia præſidia id peculiare Patres habent, quod ſolo nomine, ipſiſque præjudiciis conciliare attentionem, aſſertiones firmare, & permovere animos poſſint. Quanto magis id præſtabunt, cum res ipſa, uſus videlicet, & experientia, & delectus acceſſerint? tum enimvero intelliget orator, quæcunque fidem facere, addere pretium, & conciliare auctoritatem ſermoni poſſunt, hic concurrere univerſa. Mirabitur ipſe copiam ſuam, gratulabitur

tur ſibi, & lætitiam ſignificabit, quando nunc omnia in expedito ſunt, & quod facultati ſuæ deerat, abunde ab aliis ſuppletur. Vel enim argumentis opus habet, & vi rationum? his eum, armorum inſtar, invicti illi heroës inſtruent. An vero documenta, & regendis moribus factas ſententias cupit? graviores nemo dabit, quam Catones Chriſtiani, ex quorum vivendi ratione, velut in ſolo ſuo, natæ illæ ſunt, & ita in praxin deductæ, ut fere ſingula verba totidem exemplis redderentur. Scripturæ ſenſum quærit, & myſteria divinarum Literarum? hoc quam certo, tam clare illi oſtendunt, qui primi, & quod dixi, tamdiu, atque ex officio ea in re verſati ſunt, quosque præcipui Interpretum noſtrorum hodieque duces ſequuntur. Sed affectus ciere, & flectere animos vult? nullibi & ipſe magis accendetur, & alios accendet, quam ad focos illos, qui ut olim tot faces jactarunt, ſic luculentis ignibus neque nunc ceſſant inflammare.

Aut age, dic mihi, quos tandem omnis ætas tulit præſtantiſſimos Concionatores? quinam præ aliis commoverunt populos, & uberiores ſermonum fructus meſſuerunt? non alii certe, quam qui ad rationem dicendi Patribus uſitatam propius acceſſerunt. Nam S. Antonius Patavinus, S. Vincentius Ferrerius, S. Petrus Martyr, S. Philippus Benitius, S. Bernardinus Senenſis, Thomas Illyricus, S. Thomas de Villanova, Franciſchinus Visdomini, Ludovicus Granatenſis, Franciſcus Strada, Joannes Avila, Benedictus Palmius, Alphonſus Lupus, Ludovicus Galiardus, Edmundus Augerius, S. Franc. Saleſius, Bernardus Colnagus, Gaſpar Paranymphus, Hieronymus Lopez, Aloyſius Lanuza, & his ſimiles plurimi, uti fere moribus, & inſtituto vitæ Patres imitati ſunt, ita eandem in dicendo quoque rationem tenuerunt. Quod ſi ſcripti ſer-

mones deſiderantur, rogo eadem ratione, quinam plus ſpiritus, plus gravitatis, plus efficaciæ habeant? illorum abſque dubio auctorum, qui Patres Magiſtros adhibebant, & eorum aliqua ſaltem opera familiaria ſibi reddiderunt. Talem ex Italis Segnerium, ex Hiſpanis Barziam, ex Germanis Breanum, ex Gallis Bourdaloüerum, tales alios, eosque ſummos fuiſſe comperio, qui jam argumenta, jam ſententias, jam affectus, jam idæas integras Concionum a Patribus petere, & ſua omnia illorum auctoritate ſolent communire. Sed & illi, qui Oratoris ſacri vitam, & linguam formant, idonei teſtes ſunt, quantum a Patribus emolumenti accipiat Eloquentia Chriſtiana. Quidquid fere Cardinales Auguſtinnus Valerius, & Federicus Borromæus, Ludovicus Granatenſis, Laurentius a Villavincentio, S. Franciſcus Borgia, Claudius Aquaviva, S. Franciſcus Saleſius, Carolus Regius, Jacobus Janſonius, Jacobus Marchantius, Nicolaus Cauſſinus, Sebaſtianus d'Abreu, Amedeus Bajocenſis, Renatus Rapinus, Abbas Brettevillius, Auctor libri Italici: *Il vero modo di predicare ſecondo lo Spirito del' Evangelio*, & Gallici: *Inſtructions Eccleſiaſtiques:* quidquid item tractatus Junii, Ruæi, & aliorum quorumdam Concionibus, ac ſubſidiis oratoriis præmiſſi: quidquid denique Blaſius Gisbert, Ludovicus Antonius Muratorius, Carolus Rollinus &c. de hoc munere recte atque utiliter præceperunt, documenta & obſervationes quædam ſunt, quas ſive ipſimet eruerunt e Patribus, ſive erutas ab aliis in hunc ordinem redegerunt.

Rurſum ſcripturæ Interpretes, quos conſulat Orator ſacer, optimi ſemper non alii ſunt habiti, quam qui operæ plurimum in legendis Patribus collocaſſent. Et memini legere me, Ludovicum Sotomajorem, qui inter illos eſt maximi nominis, id

id perpetuo ſolitum uſurpare: *Nihil ſapit, qui ſine Patribus ſapit.* Itaque Lector non dico obiter luſtret, ſed ut ſors tulerit, aperiat ſive hos, qui omnem, aut fere omnem ſcripturam illuſtrarunt, ſive illos, qui in unum, aut certe aliquos tantum libros commentati ſunt. Primum Franciſcus Vatablus, * Joannes Mariana, Stephanus Menochius, Jacobus Tirinus, Cornelius a Lapide, Iſaacus le Maitre, *Sacyus* dictus, & Auguſtinus Calmet cum laude maxima præſtiterunt: in altero genere eminent Alphonſus Toſtatus, Franciſcus Titelmannus, Joannes Baptiſta Folengius, Adamus Sarbout, Joannes Gagnæius, Arias Montanus, Franciſcus Lucas, Andreas Maſius, Ludovicus Sotomajor, Cornelius Janſenius, Alphonſus Salmeron, Joannes Maldonatus, Theodorus Peltanus, Franciſcus Ribera, Franciſcus Toletus, Benedictus Pererius, Nicolaus Serarius, Franciſcus Feu-ardentius, Hector Pintus, Petrus Serranus, Joannes Pineda, Martinus Delrio, Robertus Bellarminus, Jacobus Bonfrerius, Coſmas Magallianus, Guilielmus Eſtius, Blaſius Viegas, Benedictus Fernandius, Chriſtophorus a Caſtro, Joannes Lorinus, Ferdinandus a Salazar, Gaſpar Sanctius, Benedictus Juſtinianus, Franciſcus Mendoza, Balthaſar Paës, Libertus Fromondus, Hieronymus Prado, Joannes Baptiſta Villalpandus, Paulus Sherlogus, Joannes Antonius Velasquez, Erardus Fullonius, item PP. Vavaſſor, la Lapiſſe, Bouteau, Mauduit &c. Atqui de utrisque conſtat, eos antea, quam ad ſcribendum accederent, non multos ſolum, ſed totos ferme in Patribus fuiſſe. Nam & ii, qui ſoli literæ inhærent, & jejuniores ſunt ceteris, quo minus excurrunt in allegando, eo longius legendo progreſſi ſunt,

* a Salmanticenſibus correctum intellige, non ab heterodoxis depravatum.

ſunt, neque aliam viam tenent, quam veſtigiis Sanctorum ſignatam, & commonſtratam. Idem de Aſcetis judicium eſto. Nam qui Principes ſunt ejus ſcientiæ, & ſapidiſſimas ſive Meditationes, ſive inſtructiones habent, uti Joannes Avila, Ludovicus Granatenſis, Didacus Stella, Petrus Cottonus, Robertus Perſon, Alphonſus Rodriquez, S. Franciſcus Saleſius, Jacobus Alvarus de Paz, Ludovicus de Ponte, Joannes Baptiſta Saintjure, Joſephus Surin, Cardinalis Bona, Benedictus Rogacius, Claudius Gentil, Joannes Croiſet, aliique innumeri, præſertim Galli ex Patribus profecerunt omnes, videnturque mihi ipſius Thomæ Kempenſis *Imitatio Chriſti*, Laurentii Scupoli *Certamen ſpirituale*, Thomæ a Jeſu *ærumnæ Chriſti*. * S. Ignatii *Exercitia ſpiritualia*, & quidquid peculiarem unctionem habet, non ſolum immiſſum cœlitus, ſed etiam e Patrum aſceticis operibus veluti ſuccum quemdam expreſſum eſſe.

Hæc de pondere, & auctoritate, quam Patres Concionibus noſtris, ſive de moribus illæ ſint, ſive dogmata explicent, multo graviſſimam ubique addunt, ſatis dicta ſunto.

DIS-

* De hoc incomparabili Aſceta *Summarium vitæ: Lectioni SS. Patrum adeo deditus fuit, ut nunquam ante Matutinum decantatum ſomnum, eumque perbrevem admiſerit. Eo ſtudio magnam peritiam rerum divinarum, & gratiam cum aliis eam communicandi eſt conſecutus.*

DISSERTATIO IV.

De delectu Patrum,

ſeu

num omnes Patres ſine diſcrimine eloquentes ſint.

26. Hic eſt ſcopulus, ad quem plerique impingunt Eloquentiæ Amatores, ita quidem, ut putent, non tempus modo perdituros ſe Patres volvendo, ſed illud ipſum etiam facultatis oratoriæ, quod multo labore pararunt ſibi, dicendoque conſecuti ſunt. Nimirum ubi nullo delectu inſtituto ſive in ſcholis ſeverioribus locos quosdam, eosque ſtudio brevitatis avulſos a ceteris audiunt allegari, aut ipſimet in penſo Canonico fragmentum quoddam homiliæ, nec raro ſuppoſititiæ recitant: ducto mox ad reliqua argumento ejerant talium rerum lectionem, mercesque pretioſiſſimas, uti adhuc convolutæ ſunt, velut centones abjiciunt ex oculis, aut etiam pedibus trahunt. Expertus loquor: neque facile eſt ejusmodi hominibus præconceptas leviſſimis de cauſis opiniones evellere. Spero tamen, id, ſi non apud omnes, plures certe conſecuturum, ſi modo id dabunt mihi, uti patienter, & poſitis tantiſper præjudiciis dicenti auſcultent.

Scio non deeſſe præſtantes, & clariſſimos viros, qui ſine diſcrimine eloquentes dicant Patres, & ægerrime ferant vel unius facundiam in dubium vocari. Dicunt enim, ab hominibus peritis confundendas non eſſe *Eloquentiam*, & *Elocutionem*, ſed probe diſtinguendas; quando illa in nervis & oſſibus, hæc in pulpa, & colore ſita ſit: quocunque ſermone quis utatur, eloquentem fore, modo delectum faciat argumentorum, modo apte diſponat, modo ad deſcribendum nativis coloribus,

 atque

atque ad movendum factis figuris utatur. Sit ſane, auditorem minus delectari oratione ea; at nihilo ſecius perſuaſum iri. Nempe hoc caput eſſe artis, ut ſciat quis, ubi, quantumque loqui oporteat, ſi ſermonem materiæ, tempori, & auditorum moribus accomodet, ſi conciliare ſibi auctoritatem, & fiduciam, eaque omnia facere norit, quæ in animos hominum valere magis conſueverunt. Ceteram ſolertiam, uti figuras quasdam, Tranſitiones ſubtiliores, numerum, & rotunditatem verborum, arteſque omnes, & præceptiones, quibus ornatur oratio, & aures concutiuntur, folia non fructus, corticem non nucleum, & medullam eſſe. Gladii pretium, addunt, a lamina, & acie, non a fulgore, non ab aureo, gemmatoque capulo repetendum. Iſtuc enim ad pompam fieri, & ſpectari in pace, illud bello ſervire, & Victoriam ſcilicet reportare.

27. Iſta quantumcunque plauſibiliter, atque etiam vere dicantur, ea tamen non ſunt, quibus non opponi varia poſſint; certe omnibus non faciunt ſatis. Ergo candide, ut res eſt, loquenti mihi iſtuc ſtatim concedendum, & ex cognitione Patrum, quam diuturno uſu aſſecutus ſum, etiam ſtatuendum eſt, reapſe non paucos ex iis eſſe, qui ad eloquentiam, qua plane deſtituti ipſi ſunt, parum momenti afferre poſſint. Sit ergo ſane, quosdam merito diſplicere; neque enim omnia excuſanda ſunt. Fuerunt Sancti, & admirabiles viri omnes, ſed non ideo & diſerti: grandia præſtiterunt, ſed non ideo pulcra ſcripſerunt: orabant coram Deo eloquentiſſime, ſed cum hominibus loqui non omnes didicerunt. Abſit tamen, quam fieri longe poteſt, uti contemnantur idcirco, & reverentiam amittant. Cum enim Cicero *Libr. I. de finibus* dicat: *A Philoſopho, ſi affert eloquentiam, non aſperner, ſi non habeat, non admodum flagitem:*

quanto

quanto magis de Theologo, quanto magis de Patre ita Chriſtianis eſt ſentiendum? Novi equidem etiam ex iis, qui vere eloquentes ſunt, non omnia probari nonnullis. Plerique ſermones eorum non ſunt ad genium noſtrorum Oratorum; quia populares nimium ac ſimplices ſine artificio, ſine diviſione, ſine ſubtilioribus argumentis, ſine curioſa eruditione, ſine amplificatione demum, & motu illo, quem in modernis admiramur. Sed nimirum recte Fleurius admonuit * In ſermonibus generatim attendendum, eos circa duo hæc argumenta verſari omnes, mores videlicet, & hæreſes ætatis ejus. Hac veluti clave deſtituti qui eſſent, illorum vel ſenſum non penetrare, vel certe legendo delectari minime poſſe. Ad hæc enim duo ſemper collimant, huc aciem ſcripturæ textuum dirigunt, & quoniam propter ordinem annuum eundem fere cum noſtro Lectiones eligere pro arbitratu haud quaquam licebat, coacti ſæpiſſime ſunt, quo ſcripturam materiæ accommodarent, ad ſenſus morales, tropicos, vel allegoricos confugere; quod cum gratiam ibi haberet, nunc rerum adjuncta ignorantibus parum profecto placebit. Verum neque illud omittendum eſt, Patres minus plerumque eloquentiæ in ſermones contuliſſe, hac ipſa de cauſa, quod ſermones, ſeu homiliæ, id eſt familiares allocutiones & inſtructiones eſſent. S. Cyrillus Hieroſolymitanus ſermones ſuos *Catecheſes* vocat. S. Gregorius Nyſſenus ſermonem ſuum præcipua Religionis capita complectentem pariter catecheticum inſcripſit. S. Gaudentii Brixienſis *Tractatus* plane nihil aliud, quam catecheſes ſunt. Cujus generis apud alios quoque plurima paſſim repe-

* *Diſſertatione in prima ſex ſæcula* §. 14. Sed idem quoque legi meretur in alio opere quod *de moribus primorum Chriſtianorum* edidit §. 40.

reperiuntur. Certe Patres cathedram non conſcendebant ad Eloquentiam oſtentandam. Sed, uti in catecheſibus ipſi facimus, non tam figuris vehementibus, atque diductis, quam momento, & ſublimitate materiæ, auctoritate item muneris ſui, exemplo ſanctitatis, oſtenſione intimi amoris, & demiſſione admirabili movere animos inſtituebant: verbo, uti vita, ſic & prædicatione Apoſtolos imitabantur.

28. Non autem nunc de lapſibus ago eorum, qui cetera eloquentes fuerunt. Cur enim iſtuc? nam ſunt quædam, quæ profanis etiam Oratoribus vitio vertuntur. Ciceronis ipſius non omnia prorſus probata video, & Demoſthenis *Similia* reprehenſionem etiam incurrerunt. Quod ſi Quintilianum audimus, & debemus certe ſi quem alium audire, Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videtur. * Labuntur ſcilicet & præſtantiores, ſive quod lucubrandi moleſtiæ cedunt interdum, ſive quod genio pluſculum indulgent, vel alia de cauſa, quam inter homines procul nunquam habemus. Summi enim cum eſſent, homines tamen fuerunt. Quod igitur de Origene circa doctrinam Hieronymus dixit, de quolibet alio Patre circa eloquentiam uſurpandum eſt. *Neque enim*, ait *Epiſtola* 75, *ita debemus bona ejus recipere, ut mala quoque recipiamus.* Aut quod non minus appoſite de ſua ſcriptione *Libr. de* 3. *quæſtionib. in Prologo* Othlonus monet. *Sic noxia reſecent* (Lectores) *ut utilia non condemnent.* Uti ergo illi culpandi ſunt, qui quidquid apud eos repererint, extollunt continuo ſine examine; ita iſti veniam non merentur, qui præcipiti judicio, ubi quæ-

* *Libro X. Inſtit. Orator. cap.* 1. Longinus quoque nec mores effingere Demoſthenem ait, nec urbanitates feſtivitateſque nativas habere.

quædam diſplicuerint, nec alia putant poſſe commendari. Quare Quintiliani ſupra laudati judicio *ibidem*, ſi in alteram partem errare neceſſum ſit, omnia talium virorum placere ſatius eſt, quam multa diſplicere. Sed jam ipſi eloquentes Græcorum æque, ac latinorum diſcernendi ſunt probe a ceteris, & præterea alia quædam, quæ lucem afferre hic poſſint, ſpeciatim, & diverſis capitibus expendenda.

CAPUT I.

Ex latinis Patribus plures quidem, ſed non omnes eloquentes eſſe.

29. Nemini facilius, quam Latino Patri ignoſcendum eſt, ſi quid humanitus illi accidit hac in parte. Ampliſſimus jam per ſe eſt ſermo latinus, tum plura jam inde ab Auguſto fata expertus, denique a ſuperſtitione Ethnicorum repente velut e patrio ſolo ad exteras Evangelii provincias juſſus commigrare. Accedit, quod Latini quidam Patres, quod græcis maxime Doctoribus uterentur, ubi latine ſcribendum fuit, cavere ſatis non potuerunt, quin identidem ipſis aliquid ex ejus linguæ conſuetudine adhæreſceret. De Tertulliano cum plures ſint cauſæ, quod aſperius loquatur, quas ſuo loco, ubi ſpecialis de eo tractatio erit, commodius diſcutiemus, tum ea quoqne non eſt poſtrema, quod vir omnium ſcientiarum plenus græcos auctores quam maxime adamaret. Idem ipſum præcipue etiam in Divo Hilario ſummo alias Doctore * jam ab Hieronymo eſt animadverſum. S. *Hilarius*, inquit *Epiſt.* 49. *ad Paulinum*, *Gallico*

* Quantum autem in ceteris eloquentiæ Hilarii Hieronymus deferat, grandibus verbis oſtendit in *Apolog. adverſus Ruffinum*, & *Epiſt.* 34. nunc 141.

Cothurno attollitur, & cum græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & a lectione fratrum ſimpliciorum procul eſt. Nimirum & Galli, quod ipſorum non nemo fatetur, ea ætate turgeſcebant fere omnes, & ex utriusque linguæ concurſu, ac miſtione quadam non puritatis tantum, & elegantiæ, ſed proprietatis etiam ipſius quamplurimum debebat interire. Quid quod celeberrimus hic Præſul, quando orbis pars major Ariana lue infecta jam erat, ut alteram ſervaret, primus latinorum calamum ſtrinxit contra errores illos ſubtiliſſimos certe, & obſcuriſſimos. Quamobrem proniſſimum erat, uti ventoſa, turgida, & implexa fieret ejus oratio, & ſicut ipſo argumento, ita ſcribendi etiam ratione longiſſime a communi illa, & ceteris uſitata recederet. Idem materiæ vitio pluribus accidit, qui Hilarium deinceps ſecuti in alias non minus difficiles quæſtiones de Gratia, de Peccato Originis, de Incarnatione, de divinis Attributis &c. inciderunt. Accedit illud quoque, quod Latini prioribus ſæculis peculiare quoddam genus dicendi (*ſtylum Eccleſiaſticum* vocare mihi liceat) introducere in Eccleſiam adlaborarunt, tinnulum quoddam genus, cadens ubique ſimiliter, contrapoſitionibus ſcatens, & idcirco obſcurius. Scilicet vel abire procul a profano ſermone volebant, vel quod ipſum quoque ſimile vero eſt, auribus imperitæ plebis quid dare, quod concentum amat mirifice, & rhytmis vehementer afficitur. Id certum eſt, ſtylum hunc apud neminem fere, niſi Eccleſiaſticos ſcriptores, & conſequentium temporum Monachos reperiri, ut qui alia vix legebant, niſi quæ Latini Patres conſcripſiſſent. Horum autem Lectioni ubi aſſueverunt, conſequens fuit, ut dictionem quoque imitarentur. Sed & allegoriæ, figuræque myſticæ, longius petitæ fecerunt, multos ut Latinorum faſtidi-

ſtidiremus. Nolo autem hoc loco ſermonem ea de re inſtituere; nam quod in græcis Patribus idem fere reprehenditur, & illos hi exemplo traxerunt, ſequenti capite opportunior Tractationi locus eſt, unaque fidelia, quod dicitur, duos parietes licet dealbare. Alii Latinorum Patrum, præſertim in Concionibus ad infimam plebem, ſe demittebant nimium, offenſionem ejus ex triti ſermonis neglectu metuentes. Accidit autem hoc maxime in municipiis, & minoribus oppidis, ubi neque Nobiles ut plurimum agere ſolent, neque Literati. Et apud Auguſtinum quidem id extra controverſiam eſt; nam ad rudem fere turbam verba faciebat. Unde & excuſans vitia ſermonis, *Melius eſt*, inquit, *ut reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi.* * Verum & aliis quibusdam Patribus ſatis id cauſæ fuit, cur horridiores coram populo mallent, quam comptiores comparere. ** Vidiſſes Epiſcopum circumfuſum a ſuis inſtar indulgentiſſimi parentis gerere ſeſe, & cum teneris puſionibus ipſummet quoque balbutire. Quod ſane eo minus eſt mirandum, quod Deus ipſe id fecit, quo nemo magis Pater eſt; adeo ſæpe demittit ſermonem ſuum, cum in ſcriptura loquitur, atque ex mera indulgentia, & pietate parvulos nos inſtituit. Quemadmodum S. Chryſoſtomus *hom.* 3. *in ad Titum* & *S. Gregorius L.* 19. *Moral. cap.* 7. præclare adverterunt.

Neque

* In *Pſalmum* 138. poſt medium. Similia fuſius alibi habet, uti *Tract.* 2. *in Joannem. L.* 3. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 3. & *L.* 4. de ead. *cap.* 10.

** Ipſe adeo Hieronymus in *cap.* 40. *Ezechielis*, atque alibi ſæpe, id velut proprium Chriſtianis Doctoribus ait, quodque magis mirere, ad finem *Libri adv. Helvidium*: *Non quæro eloquentiam*, ait, *non flagito linguæ nitorem: at quæro puritatem. Apud Chriſtianos enim ſolœciſmus eſt magnus, & vitium, turpe quid vel narrare, vel facere.*

Neque vero illud debemus præterire, quod multi ita egerunt, ut ægre facerent ſuperbiæ gentilium, qui nihil niſi expolitum, elaboratumque audire ſuſtinebant. Itaque oſtendere illis volebant, non iisdem ſe armis uti: & velut mandibula aſini proſtratum ibant Philiſtæos, ad plenam ſoli Deo victoriam aſſerendam. Certe pluries dicunt, timere ſe, ne dum facundiæ quid tribuunt, crucis triumphum deleant, & non tam veritatem inveniſſe, quam quæſiviſſe eloquentiam videantur. Studio etiam ipſius ſimplicitatis, & demiſſionis chriſtianæ temperantiam ubique retinebant, nec contenti amandaſſe a ſe omne ſtudium gentilium literarum, in quibus nimii ante fuiſſent, affectarunt novum, & humile genus ſcribendi. Ita nominatim in Sanctis Auguſtino, & Paulino videre eſt; qui duo a converſione ſua ſtudioſe vitarunt, ne quid delicatius, pulcriusque proferrent, imo ſi quid nec cogitantibus ex veteri conſuetudine excidiſſet, damnabant continuo; & obliteratum cupiebant. Quod prior quidem fors ea etiam de cauſa fecit, ut caſtigaret ipſe ſuperbiam illam ſuam, qua uti in confeſſionibus fatetur, humilem divinorum Librorum ſermonem faſtidiverat ante, & alta quadam deſpectione contuitus erat.

30. Iſtuc certiſſimum, Patres latinos complures quidquid ſcripſerunt deterius, imitatione Sacrarum Literarum feciſſe; quod mallent ſcilicet cum Apoſtolis, quam cum doctis, & eruditis loqui. Atque in hoc genere ante alios fortaſſe Divus Gregorius Magnus nominandus eſt, qui in eo ſtudio ſanctitatis,& varietate negotiorum,Scripturam ſolum, & Canones verſavit. Itaque Sanctiſſimus hic graviſſimusque Pater cum ornatius non poſſet ſcribere, teſte Joanne Diacono * negabat ſe Solæcos horre-

* *Libro 4. Vitæ, cap. 77.*

horrere, in quibus Apoſtolus, & alii Scriptores Sacri eſſent adeo frequentes. Sed operæ pretium fuerit, ipſummet audire. Sic enim *Præfatione Libror. Moral. S. Leandro inſcripta cap.* 5. eleganter monet. *Quæſo autem, ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras; quia per ſacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuoſæ loquacitatis levitas ſtudioſe compeſcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio ſcimus; quia, quoties in foliis male jactæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt. Unde & ipſam artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi. Nam ſicut hujus quoque Epiſtolæ tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitus, motusque præpoſitionum, caſusque ſervare contemno; quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub legibus Donati. Neque enim hæc ab ullis Interpretibus in Scripturæ Sacræ auctoritate ſervata ſunt. Ex qua nimirum, quia noſtra expoſitio oritur, dignum profecto eſt, ut quaſi edita Soboles ſpeciem ſuæ matris imitetur.* Fortaſſe & illuc reſpexit Gregorius, quod priores Scripturæ Interpretes, etſi probe noſſent, gentiles ejus ſolæciſmis, & ſtribiliginibus, qui identidem recurrunt, maximopere offendi, adduci tamen nullo pacto potuerunt, ut vel ea, quæ aſperrime dicta eſſent, ſinerent emendari. Id quod ex Origene *L.* 4. *6. & 7. contra Celſum*, item toto *cap.* 8. *Philocaliæ*, dein ex Arnobio *Libr.* 1. *c.* 39. *&* 40. Lactantio *Libr.* 3. *& iterum L.* 5. *c. 6. & L. 6. c.* 2. *divinarum Inſtitut.* Demum *Epitomes cap.* 3. Sozomeno *L.* 1. *Hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 11. * S. Iſidoro Hiſpa-

* Cujus narrationem, mox ubi de græcis dicetur, afferam; ne ibi, quo pertinet præcipue, repetere eam neceſſe ſit.

Hiſpalenſi in *fine Epiſt. ad Redemptum*, aliisque manifeſtum eſt. Hos adeant delicatæ illæ aures, & nimis religioſæ: videbunt eos pro piſcatorum ſuorum ſolœciſmis acrius multo, quam ipſi pro munditiis omnibus Latinitatis faciant, decertare. Sed ne abeamus a Gregorio tam multis ſtyli cauſa inviſo: qui tamen, quod verborum compoſitioni deeſt quandoque, lenitate & unctione incredibili abunde compenſat. Quanta enim ſub eo cortice & aſperitate verborum ſapientia, imo, & eloquentia latet! Viri ſummi, atque in Patrum Lectione verſatiſſimi Franciſci Riberæ ſapientiſſimum judicium audiamus. *Gregorius eſt*, inquit *Proœmio in Malachiam n.* 10. *quem ego non ſolum noctes, ac dies legi, & iterum, atque iterum revolvi, ſed ad verbum etiam ſi fieri poſſet, cuperem ediſci. Eum cum lego, ſoleo in Dei laudem, & in gratiarum actionem excitari, quod talem, tantumque Doctorem dederit Eccleſiæ. Equidem ita judico, cum de Libris Moralis expoſitionis Job ſermo incidit, nullum habere Librum Eccleſiam præter eos, qui Divinitus inſpirati ſunt, illis doctiores, aut utiliores. Per ejus Libros inoffenſo pede currere licet; nihil timendum, nihil habet non Catholicum, nihil non eruditum. Ut eſt ubique gravis, maturus, religioſus, elegans, doctus, acutus, eloquens! quam abſconditos ſenſus eruit, quam utiles, quam moribus formandis aptos! Melius animas diſſecat, & minutiſſima quæque & valde recondita ob oculos ponit, quam peritiſſimi Medici corpora. Quid relinquit in ſcripturis, quod non verſet, quod non elucidet? Quid excogitari ſummo ingenio poteſt, quod non inveniat? quid utile eſſe poteſt ad probandum, quod illum fugiat? Ejus Libros ut optimos morum, & ſanctitatis magiſtros, & ut locupletiſſimum ſcripturarum promptuarium adeamus: atque ille ſe in hoc genere valde profeciſſe exiſtimet, cui valde placebit Gregorius. Equidem arbitror, ſi vel ejus unius libri*

ſtudioſe

ſtudioſe legantur, præſtantiſſimos inde Scripturæ Expoſitores, Concionatoresque prodire poſſe. Nec vero quis putet, eum morali tantum explanatione præſtitiſſe. Quocunque animum intendat, quemcunque myſticum ſenſum tractare velit, æque felix eſt. Spirituales enim ſenſus, quantum ad facultatem explicandi attinet, materia ſolum differunt, & in omnibus facile excellet, ſi volet, qui in aliquo excelluerit. Eadem enim eſt in omnibus ratio inveniendi, confirmandi, eloquendi. Et ſane habebat pro ſe veteres multos Ribera, ſi allegare voluiſſet, eadem plane ſecum ſentientes. Odo *in Laudatione S. Benedicti* vocat *diſertiſſimum Papam,* aitque, totum, *quod ſcripſit quaſi aurum refulgere.* Honorius vero Auguſtodunenſis *Libr. de Luminarib. Eccleſ.* pulcrius etiam appellat *Organum Spiritus Sancti; Incomparabilem omnibus ſuis prædeceſſoribus, qui multa præ ſole præclara, ac præ obrizo auro pretioſa ſcripſiſſet.* Alia quæ paſſim apud Editores ejus occurrunt encomia, illa præſertim apud S. Iſidorum Hiſpalenſem *Libr. de viris illuſtrib. cap.* 40. & S. Ildephonſum *Libr. ejusd. Tituli cap.* 1. quod invidioſas comparationes habent, ſatius eſt hic præterire *.

Potiſſima tamen cauſa fuſcatæ eloquentiæ non apud Gregorium duntaxat, ſed alios quoque Latinos eſt ipſa ætas, in quam plurimi eorum inciderunt. Notæ ſunt ſæculi IV. exeuntis, & deinceps V. VIque totius calamitates, ex barbarorum fere omnium irruptionibus, & colliſione horrenda Imperii, quod libros, & linguæ elegantiam omnem iisdem ruinis ſecum involvit, & contumulavit. Certe confuſio inde linguarum Babelicæ ſimilis extitit, & hodieque in Italia, Gallia, & Hiſpania perſeverat. Itaque poſt calamitates eas, peſtilentiam inſu-

* Luculentum quoque Gregorii elogium dat Jacobus Pontanus *Philocaliæ Libro X. cap.* 26.

inſuper, terræ motus, eluviones (& quæ non alia mala, quorum cauſa ultimum diem orbi inſtare putaverunt) jacebant artes omnes, præceptores quoque deerant, uti ex Caſſiodoro diſcimus, & ex ſcholis frequentiſſimis ſolitudines fiebant. Hæc itaque ſermonis macula temporibus imputanda eſt, non hominibus, qui cum cetera in promptu haberent omnia, unde æque, ac majores & poſteri quam maxime diſerti eſſent, hac tamen in parte ubique deficere debuerunt. Debiliores quoque rationes, luſus vocabulorum, ornamenta alia minuta, & affectata æque ævi ejus moribus tribuenda, & concedenda ſunt. Scilicet non tam ipſi Eloquentiæ, quam Eloquentia ipſis defuit pro ratione ætatis ejus præſidio maxime neceſſario deſtitutis. Certe mihi cum quosdam eorum in manus ſumo, multo magis ſubit mirari, quomodo ita eloquentes eſſe potuerint plurimis in locis, quam quod tam inconcinni evaſerint quandoque, & ſordes varias contraxerint.

31. Vel ſic enim vix quemquam reperias, qui non agat, quantum poteſt, & lacertos ſaltem moveat, ſi forte ex infeliciſſimi temporis ſquallore quodammodo expediat ſeſe, atque exolvat. Id quod non modo apud eos, qui meliores adhuc habentur, palam fiet in poſterioribus libris noſtris; * ſed ex illis quoque, qui omnium ſunt inculti ſſimi, qui maxime horrent, & offendunt latinas aures, oſtendam nunc, ſcintillas quasdam eloquentiæ, easque luculentas ſubin promicare. S. Ildephonſus Toletanus *Libr. de Virginit. S. Mariæ*, ubi ſynonimorum affectatione incredibili (quæ tum pulcra habebatur) faſtidium omnibus movit, ſat ardentes habet exclamationes ad calumniatorem Deiparæ, qui eam poſt natum Servatorem conjugio vacaſſe

* Scilicet ubi locos eorum plurimos] in Indicibus materiarum adducemus.

vacaſſe aſſerebat. Et illud qui placet, quando *ibidem cap.* 10. in commotam moriente Domino tellurem, petraſque diſciſſas digitum intendens, ad Judæum: *adverte jam nunc*, ait, *& lapideum pectus vel exempla lapidum ſcindant!* Apud Divum Gregorium Turonenſem, cujus calamo tot lites moventur, quam pulcra, quam ſplendida, atque nativa ea ſunt, quæ *Libr. de Gloria Confeſſor. cap.* 106. de obitu, & funere S. Radegundis * pinguntur potius, quam deſcribuntur? „ Reperimus eam (ait) jacen„ tem in feretro, cujus ſancta facies ita fulgebat, „ ut liliorum, roſarumque ſperneret pulcritudi„ nem. Stabat etiam ** circa feretrum multitu„ do immenſa monialium ad numerum circiter „ ducentarum, quæ per illius prædicationem con„ verſæ vitam ſanctam agebant, quæ ſecundum ſæ„ culi dignitatem non modo de Senatoribus, ve„ rum etiam nonnullæ de ipſa regali ſtirpe, hac reli„ gionis forma florebant. Stabant autem plan„ gentes, atque dicentes, cui nos orphanas mater „ relinquis? cui nos deſolatas commendas? reliqui„ mus parentes, facultateſque, ac patriam, & te „ ſecutæ ſumus: cui nos relinquis, niſi perpetuis „ lacrimis, & nunquam finiendo dolori? ecce us„ que nunc majus nobis erat hoc monaſterium, „ quam villarum, aut civitatum ſpatia, quæ quo„ cunque loco accedebamus, contemplantes glo„ rioſam faciem tuam, ibi inveniebamus aurum, „ ibi argentum, ibi ſuſpiciebamus florentes vineas, „ ſegeteſque comantes, ibi prata diverſorum flo„ rum varietate vernantia. A te carpebamus vio„ las: tu nobis eras roſa rutilans, & lilium can„ dens.

* Quæ Galliæ Regis thalamum cum monaſterio commutaverat.

** Loco *enim*, quod alii legunt.

„ dens. Tua nobis verba quaſi Sol reſplendebant,
„ & quaſi Luna tenebris conſcientiæ noſtræ lucidam veritatis lampadem accendebant. Nunc
„ autem contenebrata eſt nobis omnis terra, anguſtatum eſt ſpatium hujus loci, dum tuam faciem non meremur aſpicere. Heu nos derelictas a ſancta Matre! felicesque illas, quæ te ſuperſtite ab hoc ſæculo migraverunt! Et ſcimus quidem te choris Sanctarum Virginum, & Dei paradiſo eſſe conjunctam: ſed cum ex hoc conſolamur, illud nobis eſt lamentabile, quod te corporeis oculis intueri non poſſumus. Hæc & alia inter lamenta dicentibus, cum a lacrimis temperare non valeremus, converſus ad Abbatiſſam ajo: Sinite parumper ab his fletibus, & ea potius, quæ ſunt neceſſaria, tractate &c. . . . „ Dein de ipſis exequiis aggreſſus dicere ita pergit ibidem. „ Ubi Sanctum corpus moventes pſallendo deducere cœpimus, mox energumeni declamantes, & Sanctam Dei confitentes, torqueri ſe ab ea fatebantur. Transeuntibus autem nobis ſub muro iterum caterva virginum per feneſtras turrium, & ipſa quoque muri propugnacula voces proferre, & lamentari deſuper cœpit, ita ut inter ſonos fletuum atque colliſiones palmarum nullus poſſet a lacrimis temperare: ſed & ipſi quoque Clerici, quorum erat pſallendi officium, vix inter ſingultus, & lacrimas antiphonam poterant explicare. Dehinc accedimus ad ſepulchrum &c. . . „ Et mox: „ Redeuntes vero ad monaſterium ducebat nos Abbatiſſa cum Virginibus per loca ſingula, in qua Sancta aut legere conſueverat, aut orare, lugens, ac dicens: Ecce ingredimur in cellulam: at matrem amiſſam non reperimus. Ecce ſpatium, in quo flectens genua cum lacrimis Dei omnipotentis miſericordiam precabatur: & a nobis non videtur. Ecce

„ librum

„ librum, in quo legebat: at vox ſpirituali ſale con-
„ dita non verberat aures noſtras. Ecce fuſos, in
„ queis per longa jejunia, & profluas lacrimas ne-
„ ctere ſolita: & almi ſanctitate digiti non cernun-
„ tur. Hæc illis dicentibus, renovantur lacrimæ,
„ ſuſpiria proferuntur, & ipſa quoque viſcera ab
„ affectu plorantium reſolvuntur in fletum, tantus-
„ que mœror pectus meum obſederat, ut a lacrimis
„ non deſiſterem, niſi ſcirem beatam Radegundam
„ ablatam monaſterio corpore, non virtute, &
„ aſſumptam a mundo, collocatam in cœlo. „
Convenit narratio cum illa breviore Baudonitiæ diſcipulæ, quæ beatæ Reginæ vitam ſcripſit. *L.* 2. *enim cap.* 5. & ipſa belle ait: *Cum ſub muro cum pſallentio* (CHORALI MUSICA) *ſanctum ejus corpus portaretur; quia inſtituerat, ut nulla vivens foris monaſterii januam egrederetur, tota congregatio ſupra murum lamentans, ita ut planctus earum ſuperaret ipſum pſallentium, pro pſalmo lacrimas, pro cantico mugitum, & gemitum pro alleluja* * *reddebant.*

Quid jam ad hypotypoſin dictam cogitas bone Lector? Locus fuſior eſt fateor, ſed non piguit huc tranſcribere, quando prolixitatem ſcriptionis præ ſuavitate, & pulcritudine admirabili minime ſentiebam. Cedo enim mihi pictorem, qui coloribus exprimat, quòd hic rudiſſimo calamo fecit: Poëtam da, aut oratorem, cujus vivaciores imagines ſint, qui ſic teneat legentem, qui eam bonarum mentium turbationem, qui communem luctum, & dolorem ita repræſentet, ut, quod hic mihi contigit, non tam legere hiſtoriam, quam intueri rem ipſam, eique adeſſe coram mihi viderer. Et quoniam ſupra de Gregorio Magno diximus, quam ar-

* Hanc enim lætitiæ vocem adhibere ea ætate in funeribus ſolebant.

dens ſæpe, tam facilis, atque ſublimis ejus ſermo eſt. *Homil.* 28. *in Evangelia*, quam præ manibus habeo, ad temporis ſui calamitates reſpiciens: „ Ecce mundus, inquit, qui diligitur, fugit. Sancti „ iſti * ad quorum tumbam conſiſtimus, florentem „ mundum mentis deſpectione calcaverunt. Erat „ tunc vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace: & tamen cum in ſe ipſo floreret, „ jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam „ mundus in ſe ipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique „ deſolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; & tamen cœca mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amamus, „ fugientem ſequimur, labenti inhæremus; & quia „ labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos „ mundus delectatione retraxit a Deo, nunc tantis „ plagis plenus eſt, ut ipſe nos mundus mittat ad „ Deum. „ Atque ejusmodi in Gregorio multa ſunt, uti infra in locis noſtris communibus videre eſt. Similia in S. Sidonio Apollinari, S. Cæſario Arelatenſi, Caſſiodoro &c. Nam cum ferro rigeant omnes, ea nihilominus ſæpe afferunt, quæ admirationi ſint legentibus, & placere poſſint etiam inter unguentatos.

Quod ſi de ſequentibus, imo poſtremis, qui quaſi appendix Patrum fuerunt, ſermo ſit, in iisdem quoque elegantia multa occurrunt. Inter alia memini pro Titulo illo, qui *de Humilitate* inſcribitur, ex S. Laurentio Juſtiniano inſignia quædam me excerpſiſſe. Thomas Kempenſis in omnium manibus verſatur, ſane hujus rei & ipſe locupletiſſimus

* Nereus, & Achilleus, quorum in Templo concionem habebat.

ſimus teſtis, præſertim in iis, quæ faciant ad affectus noſtros componendos. In B. Petro Damiani, S. Anſelmo, B. Raymundo Jordano, S. Bonaventura, S. Bernardino Senenſi, etſi flores omnes pedibus calcant, & ſæpe nec a ſcholæ terminis, quos dicunt, abſtinent, quanta ſæpe ſuavitas, & quam intima eloquentia eſt!

Sed finiendum eſt aliquando, ne nimius ſim in eo præſertim capite, cui alterum ſimile adhuc eſt ſubnectendum. Id igitur addo: ſi qui in ſæculorum quorumdam illuviem pertrahi ſe non ſinunt, ſi grave illis eſt (quod me ſubin feciſſe necdum pœnitet) metallariorum more ſcrutari venulas, & ferramenta, æramentaque illa rimari, ſit ſane: at auri, argentique jam ſignati copia immenſa ſuppetit. Omittat ergo mea maxima pace eos omnes, qui deteriore ævo ſcripſerunt, & delectum in legendo faciat; certe propter paucos illos ne ceteros contemnat, qui uti ætate, & aliis rebus, ita ſtylo quoque diverſiſſimi ab illis extiterunt. Iſtuc enim prudentis fuerit: alterum ſtolidum omnino, & vecors. Quis enim ſanum putaret eum, qui Scriptores profanos omnes nullo diſcrimine abjiceret, aut flammis traderet, quod eorum quidam minus recte dixiſſent, aut ceciniſſent? Quod ſi autem id ignoſcendum non eſt: an huic veniam concedemus? Et profecto præter hæc aſperius ſcripta, infinita alia ſuperſunt, quæ quis, etſi nihil deſiderari in ſe patiatur, non tam facile legendo exhauriet. Mihi, ut ingenue fatear, etſi per plures annos nec labori, nec oculis, nec valetudini pepercerim, plurima reſtant, & vereor, ut unquam abſolvam univerſa. Sed hoc manifeſtius fiet ſequentibus libris, ad quos identidem remittere Lectorem me debere nemo mirabitur, qui quidem œconomiam operis evolvere initio non prætermiſit.

CAPUT II.

Sed neque ex Græcis, etſi ſunt multo plures, omnes ſunt eloquentes.

32. De Græcis dudum adverterunt viri in Græcia, & Latio verſati, quique Patres fere omnes legerunt, eos eloquentia Latinis haud parum antecellere. Hos inter Venerabilis Petrus Caniſius *in Præfatione ad D. Hieronymi Epiſtolas* ita pronuntiat: *Ceterum de græcis Theologis vel inviti fateri cogimur, ſi Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, atque claſſis ejuſdem alios recte judicaverimus, eos longe præſtare Latinis dicendi, ſcribendique summa felicitate* *. Nempe cum ſedes ſcientiarum in Græcia ſemper jam ante fuiſſet, & calamitates eas Græci nunquam experti ſint, quæ Occidentis Imperium totum devaſtarunt, facile fuit Majoribus nativum ſermonis leporem tradere poſteris, nec his difficile, quod acceperunt, deinceps quoque retinere. Atque ita pauci erant illorum, qui non ſcriberent accurate, & quæ pulcherrime conceperant, verbis quoque elegantibus repræſentarent. Quod ſi plures tibi occurrunt, qui deſipiant tibi plane, & tam parum, quam latini arrideant, ex illis quædam in memoriam revoca, quæ ſupra de Latinis dicebamus. Etſi enim magis conveniunt iſtis, tamen hic quoque locum habent haud infrequenter. Nam inter Græcos quoque quam ſtudioſi quidam ſanctæ ſimplicitatis fuerint, ex antiquioribus S. Herma, S. Antonio Egyptio, S. Macario, S. Epiphanio, imo & poſterioribus uti Simeone Juniore, Theologo dicto, plus quam ſatis apparet. Thriphyllius Ledrenſis Epiſcopus, ſi quis alius Græcorum diſertus,

* Idem fere fatentur Laurentius a Villavincentio *de rat. ſtud. Theol.* non uno loco, & Joan. Chriſtophorſonus Epiſcop. Ciceſtrenſis *Præfat. in Hiſtoric. Eccleſ. græc.*

tus, atque ob eam rem Hieronymo quoque Laudatus *, cum in Conventu Epiſcoporum ad populum diceret, & forte in verba ea: *Tolle grabatum tuum, & ambula*, incidiſſet, mutata voce ſcimpodem pro grabato adhibuit. Vix illud S. Spiridion audiverat, cum interpellans ſermonem ejus, *Tune*, exclamat, *melior eo, qui grabatum dixit; quod ejus te pudet verba uſurpare?* quo dicto exiliit e ſede ſua, & palam omnibus Templo egreſſus ſalutari pudore ad ſimplicitatem Evangelicam oratorem erudivit **. Origeni, utut eloquens fuerit, in ſermonibus plerumque non vacabat diſerto eſſe, tot laboribus literarum diſtracto, pluresque ſunt ejus Homiliæ, quas nunquam ille ſcripſit, ſed natas ex tempore, & dictas in Eccleſia a notariis excipi paſſus eſt. Quidam pro ſola plebe ſcribere ſe profitentur, & pro recens converſis, ſeu illuminatis, unde quam poſſunt planiſſime verba faciunt. Alii monita quædam aut Canones pro Monachorum inſtitutione collegerunt, in quibus utique omnibus campus non patet, in quo eloquentia decurrat. Quod ſi horum nihil eſt, illud certe ante omnia opinioni eorum officere video, quod quidam eorum in allegoria nimii ſunt, ſenſusque myſticos curioſius etiam conſectantur. Nam & Novatores noſtri, & jam ante Gentiles vitio hoc illis verterunt. *** Inde autem res ea manavit, quod Philo, & Origenes, quos illi plurimum lectitabant, indulgerent

 inge-

* *In Catalogo Scriptorum.*

** Vide Sozomenum ſuperiori capite jam allegatum, *ibidem.*

*** De hæreticis, vide Serarium *in Prolegomenis Bibl. cap.* 21. *Inter gentiles fuit Porphyrius L.* 3. *contra chriſtianos edito.* Quamquam non negem, præter hos etiam ipſis PP. Baſilio, Nazianzeno & Commentatori ejus Nicetæ, Hieronymo, Euthymio aliisque pluribus intemperantiam allegoriarum diſplicuiſſe.

ingenio, atque a literali ſenſu totos ſe ad ſignificationem transferrent. Horum igitur imitatione multi Græcorum abripi ſe ſunt paſſi, uti in S. Cyrillo Alexandrino, Heſychio, & quibusdam aliis videre eſt. Quid quod Græcorum genius per ſe ad Tropos ipſis in verbis deflectit plurimum, & hæc dum convertuntur, peregrinitatem olent apud nos, minusque ſapiunt? Sed quoniam ad figuras, ſenſusque ſpirituales devenit oratio, & illud e contrario attendendum eſt, perperam multa culpari in iis ſolere ab imperitis. Certe non omnes explodi debent. Neceſſaria enim ſæpe allegoria eſt, ad quam ipſi Sectarii confugere ſæpius coacti ſunt, ut ſe a difficultatibus literæ expedirent*. Atque ita non ſine Catholicorum riſu Grotius fecit, quando rationi temporum metuens Judithæ Hiſtoriam totam ad myſterium, & imagines ſymbolicas detorſit. Habemus autem exemplum ipſius Chriſti, qui ad plebem promiſcuam *in parabolis* ut plurimum locutus eſt: & Chriſtianis recentibus, ſive converſi ex Judæis eſſent, quibus omnia in figura contingebant, ſive inter Ethnicos mythologiæ, & fabellis Poëtarum aſſueviſſent, dandum quid fuerit, uti a myſteriis non omnino abſtraherentur. Patres ergo in Lege Veteri myſteria ſæpiſſime requirebant: illa vero, quæ offendere, & alienare animos poterant, neceſſe habuerunt ante oculos imbecilliorum figurarum quaſi velo quodam obumbrare. Suam quævis conſuetudo ætatem, ſuum imperium habet, & ſæpe ſæculum vivitur, ubi quæ nunc offenſione non careant, laudem potius, & admirationem habuerunt. Quemadmodum ergo iniquior foret, qui exprobraret recentioribus, quod dimiſſis allegoriis ad literam magis deflectunt, ita immerito & veteres reprehenduntur;

* Vide Lamindum Pritanium *de ingeniorum moderatione Libro III, cap.* 16.

tur, quod contrarium eo tempore fecerunt, quando communi auctoritate obtinebat ubique, & civitate donatum erat. Nempe quod nobis imitari conſultum non fuerit, id in illis reprehendere non minus profecto eſt vitioſum. Sed quid tricamur tamdiu hanc ob rem? præter Auguſtinum *Epiſt.* 119. nunc 55. *ad Januarium* Scripturæ Interpretes plurimi, atque inter eos nominatim Ribera in immortali opere, quo decem Prophetas minores ſapientia, eruditione, & facundia ſingulari interpretatus eſt, eo me labore penitus liberarunt. Lege, quæ vir ſummus *Præludio I. in Expoſitionem omnium Prophetarum*, itemque *Proœmio in Jonam, & alios* de uſu, veritate, & firmitate ſenſus ſpiritualis, quam ſolide, tam eleganter diſputavit. Juvat in idem argumentum Proœmium quoque ejuſdem Riberæ *in Haggæum, & Malachiam* evolviſſe. Addi poſſunt, quæ Abbas Bretevillius *L.* 1. *Eloquentiæ ſacræ cap.* 5. huc affert. Ex horum rationibus, non ex ſæculi noſtri genio hiſce de rebus ſentiendum eſt, & pronuntiandum.

33. Maxime autem reputare nobiſcum circa Patres græcos id debemus, quod innumeris ſolet imponere, ut ne auctorem ipſum cum Interprete aliquando confundamus. Sordide enimvero, obſcure, abſurde hoc illudve dictum eſt, quod nunc legis: nec mihi ſane id placuerit. Verum non Pater ille, quem reprehendis, ita ſcribit, ſed qui interpretandum ſuſcepit. Neque enim eligere poſſunt interpretem poſt fata ſua, & ſi poſſent, optimum ſæpe reprobarent. Quod ſi & bonus interpres ſit, interpres eſt tamen. Quemadmodum enim & præſtantibus picturis contingit, quas alius quidam pictor fere iiſdem coloribus quidem, at non eadem manu imitatur, & ſicut vinis generoſioribus, quando alio avehuntur, multum genuini ſaporis, nec parum ipſius virtutis decedere ſolet, haud ſecus

venuſtatis, ac leporis partem magnam perdunt verba, ubi ſolum vertere, & exteras in linguas coguntur transmigrare. Linguarum enim proprietates tam diverſæ, diſparatæque ſunt ſæpe, quam ipſæ terræ, ac nationes, a quibus ortum illæ ſuum habuerunt. Quantum obſecro horrebant Græci quidam, antequam elapſo ſæculo doctiſſimi quidam viri manum illis admoverent, ſitumque, & ſquallorem abſtergerent? tantum ſcilicet, quantum dignitatis, atque etiam ornatus, & elegantiæ habent, cum ſua lingua loquuntur. Fatum igitur hoc commune eſt omnibus exteris, quod converti debent, & illum ſæpe nanciſcuntur Verſorem, quem minime omnium ipſi quidem voluiſſent. Non placet tibi Divus Ephræm, ain? at ille alteram jam metamorphoſin ſubiit, ex ſyriaco in græcum, & ex græco in latinum converſus. Photius *codice* 196. jam de antiqua illius verſione conqueſtus eſt; ita enim loquitur: *In his admonitoriis ſancti viri ſermonibus jure quis admiretur, quam alte penetret perſuadendi vis, quantumque ab his fluat jucunditatis, quam denique affectuum copia referti ſint. Oratio tamen ejus, ac figuræ, nihil mirum, ſi ad conſuetum homiliarum uſum, & inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in auctorem ſenſuum, ſed in horum interpretem ea conferenda culpa. Qui namque ſunt ſyriacæ linguæ bene periti, verbis adeo, ac tropis excellere norunt, ut ambiguum ſit, ab hisne an a ſenſu recondito tanta ejus dicendi vis, atque elegantia proficiſcatur. Quamobrem non tam dictionis humilitas admiranda, quam illud ſuſpiciendum, quomodo per tantam verborum vilitatem tanta ſalus, atque utilitas in legentes effundatur.* Sozomenus *Libr.* 3. *cap.* 16. ait, infuſa divinitus ſcientia hominem fuiſſe, & facultate ſplendoreque orationis, ſententiarum item crebritate, ac ſapientia græcos adeo ſcriptores longo intervallo ſupe-

raſſe

raſſe *. Theodoretus *Libr. 2. cap. 30* vocat *admirandum*, qui apud Syros præſtantiſſimus fuerit ſcriptor. S. Hieronymus *in Catalogo* dicit, ejus de Spiritu Sancto volumen græca lingua donatum legiſſe ſe, & acumen ſublimis ingenii etiam in translatione agnoviſſe. Certe ut alia elogia prætercam, propter Conciones ſuas *orbis Magiſter* dictus eſt Ephræm, habitusque vir admirabilis, & præſtantiſſimus orator: denique ad eam pervenit claritatem, uti eodem Hieronymo teſte ** poſt lectionem ſcripturarum ipſe quoque in Eccleſiis non paucis publice populo recitaretur. Alios quoque plures, miris laudibus effert Photius, qui tamen Latine redditi, nec aures ſemper, nec animum implent.

Quidquid igitur in laudem interpretationis alicujus mihi occinas, talem certe dabis nunquam, quæ abſoluta ſit omnibus numeris, & in qua nemo, nec ipſe interpres, quid eorum deſideret, quæ in autographo reperiuntur. Linguarum diverſitas facit, ut quod in una laudem habet, atque etiam voluptatem, in altera vertatur vitio, & faſtidium pariat. Ut ergo omnia obnixe facias, totum reddere non potes, quod accepiſti, & alia rurſum, quæ ille non habet, repones; præſertim cum & verbulum ſæpe loco motum plus quam ſatis ſit ad vitiandum auctorem, & ejus ſi non ſententiam, amœnitatem certe, numerum, & vim orationis infringendam.

Quod ſi ergo & præclarum aliquem Verſorem nanciſcare (uti quidam ſane præclari ſunt) ſi placeat ille tibi mirum in modum, atque arrideat, illud eſt tibi ſemper cogitandum, quod S. Hieronymus *in Catalogo* de Bardeſane dixit. Cum enim præ-

* Quod vero de verſione Ephræmi plane contrarius eſt Photio, ipſe viderit. Fors ea, quæ ætate Sozomeni legebatur, ad Photii ſæculum non pervenit.

** *Ibidem.*

præmiſiſſet, ardens ejus a Syris prædicari ingenium, & in diſputatione vehemens, ejusque clariſſimi, & fortiſſimi libri, quem M. Antonino de fato tradidit, & multorum aliorum *ſuper perſecutione* voluminum nominatim meminiſſet, quæ ſectatores ejus de Syra lingua verterunt in græcam, ita concludit: *Si autem tanta vis eſt, & fulgor in interpretatione, quantam putamus in ſermone proprio?*

34. Primum igitur illud eſt, quod generatim ab omni interprete poſtulamus, uti linguam utramque in promptu ille habeat, nihilque ſit venerum, atque munditiarum, quod non & diſcernere ſtatim, atque etiam loco ſuo ſciat redhibere. Secus ubique vel nimium attollet aliquid vel deprimet nimium, ſicque fides in eo deſiderabitur. Sed & cum auctori inhæret moroſius, cum verba ſingula, ipſumque ordinem trutinat, ponderat, atque expendit, proniſſimum eſt alterum, uti vel agreſtis compareat, vel obſcurus certe evadat. Et inde opinor omnium, qui græcam perfectius didicerunt, potiſſima hodieque querela eſt, enervatos præclariſſimos ſcriptores, & ſibi nimium quantum ubique fere diſſimiles clamitantium. Inde alii, qui eam non ita callent, putant imponi ſibi, vanas ducunt laudes, quæ Patribus græcis tribuuntur, plurimaque vel Chyſoſtomo quoque aut Baſilio alicui deeſſe, quibus ad ſummi oratoris laudem, & commendationem ille pertingat. Porro ipſas dotes, quæ in quavis verſione ſingillatim requiruntur, ita breviter veluti in pugnum conſtrinxit doctiſſimus vir Joannes Chriſtophorſonus Epiſcopus Ciceſtrænſis, qui *præfatione ſua ad Hiſtoriam Eccleſ. Euſebii &c.* ita ait: *Mihi in convertendis græcis aciem mentis defigenti quatuor potiſſimum videntur requiri. Vera ſenſus ſententiæque explicatio, latinitas, numerus, ea, quam dixi, ſermonis perſpicuitas. Primum ad fidem, ſecundum ad delectatio-*

nem

nem, tertium ad aurium judicium, quartum ad intelligentiam ſolet accomodari. Quis enim credet, ſi ſuſpecta ſit ſententia? quis voluptatem in legendo capiet, ſi ſermo rudis, & impolitus videatur? cujus aures non faſtidient, ſi hians, & incondita ſit oratio? quem non deterrebit, ſi obſcura, & tanquam circumfuſa tenebris appareat? Sed nempe hic Rhodus, quod ajunt, hic ſaltus eſt, uti quatuor illa non in uno ſolum homine conveniant, ſed in charta eadem, & quavis linea uno ſemper tenore retineantur. Alibi ſane conduntur leges, & alibi ſervantur, ipſeque ille, qui has tam clare cognovit, verbisque comprehendit, multorum judicio non omnes in vertendo Euſebio obſervavit. Plus etiam aliquid dico, quod quantumcunque mirabile multis videbitur, tamen eſt dicendum. Novimus omnes, qualis, quantusque vir Hieronymus extiterit, novimus perfectam tot linguarum cognitionem, inſano labore partam, ſcimus in vertendo præ aliis omnibus exercitatum, imo vitæ annos quam plurimos hoc in negotio abſumpſiſſe. At hic ipſe eſt, qui non omnibus ſua ætate ſatisfacere potuit, ſed nec ſibi quidem; quando ex pluribus ejus, quas huc fecit, animadverſionibus clare videmus, Hieronymum illam verſionem pro perfectiſſima, atque abſolutiſſima habuiſſe, quæ quam pauciſſimos, non quæ nullos errores haberet. Illud enim difficile, iſtuc omnino impoſſibile ducebat. Audiamus quid *Epiſt.* 65. *ad Pammachium, & Oceanum* ſcribat. *Quid autem laboris,* ait, *in Libris transferendis* περιμοχθῶν *ſuſtinuerim, veſtro judicio derelinquo, dum & mutare quidpiam de græco non eſt vertentis, ſed evertentis, & eadem ad verbum exprimere nequaquam ejus, qui ſervare velit eloquii venuſtatem.* * Sed nullibi ſignificantius, fuſius-

* *In fine.*

fuſiusque difficultatem eam interpretandi Hieronymus expendit, quam in *Præfatione, Euſebii Chronico* præfixa, quæ ſane pulcherrima eſt, & energiæ plurimum habet, huic viro tam familiaris. „ Vetus, „ inquit, iſte diſertorum mos fuit, ut exercendi „ ingenii cauſa græcos libros latino ſermone abſol„ verent, & quod plus in ſe difficultatis habet, „ Poëmata illuſtrium virorum addita metri neceſ„ ſitate transferrent. Unde & noſter Tullius Pla„ tonis integros libros ad verbum interpretatus „ eſt: & cum Aratum, jam Romanum hexametris „ verſibus edidiſſet, in Xenophontis Oeconomico „ luſit. In quo opere ita ſæpe aureum illud flu„ men eloquentiæ quibusdam ſcabris, & turbu„ lentis obicibus retardatur, ut qui interpretatio„ nem neſciunt, a Cicerone dicta non credant. „ Difficile eſt enim alienas lineas inſequentem non „ alicubi excidere: arduum, ut quæ in aliena lin„ gua bene dicta ſunt, eundem decorem in trans„ latione conſervent. Significatum eſt aliquid „ unius verbi proprietate? non habeo mecum, quo „ id efferam, & dum quæro implere ſententiam, „ longo ambitu vix brevia ſpatia conſumo. Ac„ cedunt hyperbatorum anfractus, diſſimilitudines „ caſuum, varietates figurarum, ipſum poſtremo „ ſuum, ut ita dicam, vernaculum linguæ genus, „ ſi ad verbum interpretor, abſurde reſonat: ſi „ ob neceſſitatem aliquid in ordine, in ſermone „ mutavero, ab interpretis videbor officio receſ„ ſiſſe. Itaque mi Vincenti chariſſime, & tu Ga„ liene pars animæ meæ, obſecro, ut quidquid hoc „ tumultuarii operis eſt, amicorum, non judicum „ animo relegatis; præſertim cum & Notario, ut „ ſcitis, velociſſime dictaverim, & difficultatem „ rei etiam divinorum Voluminum inſtrumenta „ teſtentur, quæ a Septuaginta Interpretibus edita „ non eundem ſaporem in græco ſermone cuſto-

„ diunt.

„ diunt. Quamobrem Aquila, & Symmachus, & „ Theodotion incitati, diverſum pene opus in „ eodem opere prodiderunt, alio nitente verbum „ de verbo exprimere, alio ſenſum potius ſequi, „ tertio non multum a veteribus diſcrepante. „ Quinta autem & ſexta, & ſeptima editio, licet, „ quibus cenſeatur auctoribus, ignoretur, tamen „ ita probabilem ſui diverſitatem tenent, ut aucto- „ ritatem ſine nominibus meruerint. Inde adeo „ venit, ut Sacræ Literæ minus comptæ, & dure „ ſonantes videantur, quod diſerti homines inter- „ pretatas eas de hebræo neſcientes, dum ſuper- „ ficiem, non medullam inſpiciunt, ante quaſi „ veſtem orationis ſordidam perhorreſcunt, quam „ pulcrum intrinſecus rerum corpus inveniant. „ Denique quid Pſalterio canorius, quod in mo- „ rem noſtri Flacci, & græci Pindari nunc Jambo „ currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico „ tumet, nunc Semipede ingreditur? quid Deu- „ teronomii, & Eſaiæ cantico pulcrius? quid „ Salomone gravius? quid perfectius Job? quæ „ omnia hexametris, & pentametris verſibus, ut „ Joſephus, & Origenes ſcribunt, apud ſuos com- „ poſita decurrunt. Hæc cum græce legimus, „ aliud quiddam ſonant, cum latine, penitus non „ cohærent. Quod ſi cui non videtur linguæ „ gratia interpretatione mutari, Homerum ad ver- „ bum exponat latinum: plus aliquid dicam, eun- „ dem in ſua lingua proſæ verbis interpretetur, „ videbit ordinem ridiculum, & Poëtam eloquen- „ tiſſimum vix loquentem. Quorſum iſta? vide- „ licet, ut non vobis mirum videatur, ſi alicubi „ offendimus, ſi tarda oratio, aut conſonantibus „ aſperetur, aut vocalibus hiulca vel diviſa ſit, „ aut rerum ipſa brevitate conſtringitur, cum eru- „ ditiſſimi homines in eodem opere ſudaverint, & „ & ad communem difficultatem, quod in omni

„ inter-

„ interpretatione cauſati ſumus, hoc nobis pro-
„ prium accedat, quod hiſtoria multiplex eſt, ha-
„ bens barbara nomina, res incognitas Latinis,
„ numeros inexplicabiles, virgulas rebus pariter,
„ ac numeris intertextas, ut pene difficilius ſit
„ legendi ordinem diſcere, quam ad Lectionis
„ notitiam pervenire. „ Dein aliis, quæ huc non
pertinent, interjectis eadem eloquentia ſubdit:
„ Nec ignoro multos fore, qui ſolida Libidine
„ detrahendi omnibus, quod vitare non poteſt,
„ niſi omnino nil ſcribit, huic volumini genui-
„ num dentem infigant. Calumniabuntur in tem-
„ pora, convertent ordinem, res arguent, ſyllabas
„ ventilabunt, & quod accidere plerisque ſolet,
„ negligentiam librariorum ad auctorem referent.
„ Quos cum poſſem meo jure repercutere, ut ſi
„ diſplicent, non legant, malo breviter placatos
„ dimittere, ut & græcorum fidem ſuo Auctori
„ aſſignent, & quæ nova aſſeruimus de aliis pro-
„ batiſſimis viris libata cognoſcant. Sciendum
„ etenim me eſſe & interpretis & ſcriptoris ex
„ parte officio uſum, quia & græca fideliſſime
„ expreſſi, & nonnulla, quæ mihi intermiſſa vi-
„ debantur, adjeci, in Romana maxime hiſtoria,
„ quam Euſebius, hujus conditor libri, non tam
„ ignoraſſe, utpote eruditiſſimus, quam ut græca
„ ſcribens parum ſuis neceſſaria perſtrinxiſſe mihi
„ videtur. „ Hæc Interpretis græci Præfatio
nobiliſſima eſt omnium, quas legerim ego, at-
que ideo, quod ad omnem, quæ evenire verten-
tibus poſſit, difficultatem facit, tranſcribendam huc
putavi; ne quis porro alios juniores magnopere
deſideret, dum anguſtias illas ſuas, in quibus ſæpe
deprehenſi ſunt, prolixius etiam lamentantur. *
Hoc

* Videri etiam poteſt Joan. Bapt. Cotelier in *Præfat. ad Tom. I. Monumentor. Eccl. græc.*

Hoc illi unum addo, Ciceronem ipſum, qui ad invidiam Græcorum græce ſcribebat, cum orationem de *Corona pro Cteſiphonte* a Demoſthene, & alteram contra Cteſiphontem ab Eſchine habitam latine reddidiſſet, ingenue faſſum, ne umbram quidem Demoſthenis ſe aſſecutum. Quid igitur de minorum gentium Interpretibus, ut non mutis, at balbis certe, nobis pollicemur?

35. Porro quoniam exemplis clarius multo, quam præceptionibus docetur, communiores, qui occurrere apud Interpretes ſolent defectus pauliſper conſiderandi ſunt. Ut nihil dicam de iis, qui in exemplaria mendoſa incidunt, & corruptis codicibus utuntur, uti non ſua culpa Hervæo, Cornario aliisque pluribus accidit; primus haud dubie illorum eſt, qui minus fideliter hac in parte verſantur, dum vel demunt aliqua, vel addunt de ſuo, vel doctrinam ipſam depravant. Iſtuc hæretici cum antiqui, tum recentiores ſæpiſſime fecerunt, & de altero Hieronymus jure, & acriter cum Ruffino expoſtulat. Secundus eorum, qui nimium ſibi tribuentes vel oſcitantia, vel fuga laboris, vel quovis alio modo ſententiam pervertunt, aut obſcurant, id quod Billius ſæpiſſime Eraſmo objecit. Tertius error eſt reddentium de verbo ad verbum, id quod auctorem non poteſt non deformare quam plurimum, ſed & lectori negotium faceſſere. *Interpretes*, ait Billius in *Obſervationib. Sacr. qui verbum verbo reddere ſtudent, meo quidem judicio nihil aliud agunt, quam ut pro luce meras lectoribus tenebras offundant.* Hac de cauſa Divus Iræneus multos abſterret a legendo, aliter longe compariturus, ſi reperto autographo peritiorem aliquando Interpretem nanciſceretur: id quod profecto vel ex primo ejuſdem libro apparet; hunc enim, ubi Billius ante laudatus reformare paululum aggreſſus eſt, quam diverſum ab

ea, quæ fuerat, antiquiſſimi Doctoris faciem oſtendit? quod de Irænei interpretatione dixi, de pluribus aliis intelligendum eſt, antiquioribus præſertim, quæ ſæculis æreis ſunt adornatæ. Veteres enim, quo plus fidei tribuebant, tanto minus ſæpe aliarum rerum curioſi, contenti ſcilicet erant, ſi ſententiis græcis verba latina qualiacunque ſubjeciſſent. * Quartum eſt illorum peccatum, qui ſive linguæ ejus, ex qua, vel illius, in quam auctor vertendus eſt, non plenum uſum, talemque cognitionem habent, quæ verborum omnium vim, & poteſtatem aſſequatur. Utraque de cauſa Hieronymus Ruffinum mire exagitat, quod a græcis literis utcunque comparatus, latina vero eloquentia certe deſtitutus violentas veluti manus præcipuis Patribus intuliſſet. Joachimo Perionio Billius alterum ex his crimini dedit, quod, latiniſſimus cum eſſet, minus tamen græce ſciret, ac oportebat. Nonnunquam enim notiones vocibus ſubjectas minime aſſecutus, & unius literulæ vel adjectione aliqua, vel ſubtractione deceptus alios quoque decipit, ſicque ab auctorum mente plurimum ſæpe deflectit oratio ejus. Sed & qui Bollandum continuarunt, acerrimi græci mirantibus eruditis hominibus, plura deprehenderunt in claris etiam, & recentibus Interpretibus, quæ nunquam profecto ita reddituri illi erant, ſi majorem linguæ græcæ, penitioremque notitiam combibiſſent. Quinto & illi non parum errant, qui cum & græce, & latine norint optime, judicio tamen minus valent, quam ut verbis ipſis gravitatem viri ejus obſervent, quem vertendum ſumpſerunt. Atque hoc Livineium

* Lege etiam hic, quæ Hieronymus *Epiſt.* 101. *nunc* 57. *ad Pamachium de optimo genere interpretandi, & Rollinus Libr.* 1. *de ratione docendi, & diſcendi literas humaniores* habent.

neium præcipue tangit, qui in S. Theodoro Studita vertendo quam levis, ne dicam putidus, ac puerilis eſt! Ethnicas quoque phraſes immiſcet identidem, & affectationes alias, quæcunque quidem cadere in latinam linguam poſſunt, videre hic liceat, atque inde Interpretis ætatem cognoſcere. Mihi certe, cum legerem, Theodorus ita apparebat, quaſi comicum aliquem in ſcena, non graviſſimum ſanctiſſimumque Martyrem e cathedra loquentem exaudirem. Ultimum, quod mihi quidem occurrit, illorum vitium eſt, qui ne ſuæ, latinæ ſcilicet, linguæ nitorem vel minimum maculent, aut circuitionibus nimium utuntur, aut certe, quod poſſent, atque alias etiam vellent, ob anxiam eam curam plurium verborum proprietatem non exprimunt plene, & in luce collocant. Atque hic ne exempla deſiderentur, communis fere eſt ſcopulus; quod ſcilicet medium tenere quavis in re ſit multo difficillimum. Unde prudentiſſima mihi ſemper Dausqueii animadverſio viſa eſt, qui in S. Baſilii Seleucienſis orationes a ſe primum converſas ita inter cetera præfatur: *Nec quidquam facilius factu eſt e græco latine vertenti, quam longiſſime a veritate, atque ab auctoris ire ſententia, ſi vocem aliquam reponit iniquius. Quod non eo ſtatuo, quod orationem græcam in Italiam per mæandros, & ambages velim transvehi, ac multiplici verborum aggregatione græcum unum obrui: ſed abditæ dictionum vires ſcrutandæ ſunt, & ex propriis earum viſceribus verſionis æquabilitas ſtatuenda. Neque vero defugienda novitas, ubi priſca defuerint, de veterum Latinorum exemplo, & præceptione. Omnes enim ſcientiæ non ſolum e communi uſu, ac poſſeſſione verborum multa retraxerunt in domeſtica commoda, quæ in peculio numerant, ſed præterea multa de novo procuderunt, neceſſitati ſuccurrentes.* Et mox iterum propius etiam in rem præſentem. *Pridem imbibi,*

ait, *primam interpretis, ac prope unicam fidei curam eſſe gerendam; quas partes ut expleas, ea uſurpes neceſſe eſt, quæ ceteroqui nec in mentem veniſſent. Aliter qui facit, recedit ab officio, atque a Majorum inſtitutis. Nam qui primi quidpiam aliam in linguam transfuderunt, nihil aliud habuere propoſitum, quam eorum, quos vertebant, doctrinam, & ſententiam cum linguæ iſtius ignaris communicare. Non ex verſione nomen captabant, ut quibus prius nihil eſt, quam ut ſui ſitim expleant, eſto per eloquentiæ ambitionem auctoris ſententiam torqueant in aliam; licet plerumque poſteritas vel indignata, vel ingrata, vel curioſa, vel oblita velut corvos deludat hiantes. Ea cauſa, nec ipſi alienum in locum verba vi inculcabant, nec ſpernebant propria, etſi minus amœna.*

Porro iis, qui græca transferent, ſummorum virorum opinione plurimum præbere adjumenti poſſunt ea, quæ Daniel Huetius *Libro de illuſtribus Interpretibus*, qua ſolet eruditione, judicio, & eloquentia conſcripſit. Item *Theſaurus Linguæ græcæ* ab Henrico Stephano quatuor magnis voluminibus digeſtus, ubi quidem eximiæ ad id muneris regulæ adducuntur. Jungatur etiam, qui Amſtelodami ann. 1682. duobus magnis pariter voluminibus excuſus eſt alius *Theſaurus Eccleſiaſticus* Joannis Gaſpari Svizeri. Notæ quam plurimæ Frontonis Ducæi, cujus interpretandi rationem hodieque omnes deprædicant. Item *Palæographia græca* Montfauconi *Pariſiis* 1708. opus nobile. Magnopere pariter huc pertinet Jacobi Billii *Libellus græcarum locutionum*, quasque ſupra allegavi, *Obſervationes ſacræ* ejusdem ſummi viri, primum a morte editæ, & S. Iſidori Peluſiotæ primis tribus Epiſtolarum libris adjunctæ. Has autem obſervationes maximi ſane facere debemus, quod ab eo homine profectæ ſunt, quo nemo melius de græcis Patribus meritus ſit, & in quo dotes omnes

genui-

genuini Interpretis quaſi de palma decertarint. Certe ut alios Viri laudatores omittam, Poſſevinus in Apparatu Sacro verbo *Theodoretus* auctor eſt, uti ea, quæ Billius corrigenda in interpretatione aliqua cenſuerit, novis editionibus, tanquam gemmæ quædam pretioſæ inſerantur. *Billius enim*, addit, *quod & alibi teſtati ſumus, mirum eſt, quam græcæ linguæ peritiam fuerit aſſecutus.* De eadem interpretandi ratione diſſerit Joſ. Maria Suareſius in *Indice operum S. Nili;* ſed dubito, num quæ præcipit, implere ipſus potuerit. * Sed quid porro illis facies Patribus græcis, quorum exemplar autographum non extat amplius, aut certe in Bibliothecis quibusdam imperviis ſepultum potius, quam reconditum eſt? Id quod inter ceteras literariæ rei jacturas ſæpiſſime deflere contingit, quando eorum pars magna, quos habemus, Græcorum nonniſi latine jam ad nos loquitur. Neſcio ſane, quid reſpondeam, niſi iſtuc fors optimum eſt, cum pro eloquentia illi jam minus faciant, grates vel pro eo ſuperis habere nos oportere, quod ſaltem ceteris uſibus noſtris, iisque haud pœnitendis ſervire poſſunt. Quod ſi miſerandus non eſt Pater ille, quod eas in manus inciderit, ex quibus eripi jam nequeat, certe minus multo culpandus erit. Opere autem maximo danda opera eſt, excutiendique omnes anguli Bibliothecarum, ut ſicubi deliteſcat adhuc, protractus inde, & verſione nova emendatior in lucem emittatur. Et hæc habui, quæ de Græcorum eloquentia, quando vel per ſe, vel aliorum culpa infringitur, fuſe quidem, ſed nec inutiliter id loci admonerem.

* Plurimum deniqüe adjumenti ad noſcendos ſingulatim interpretes afferent ea, quæ Editores PP. græcorum, maxime poſteriores non ſine judicio præfari ſolent.

DISSERTATIO V.

De Eloquentia Patribus propria,
ſeu
An eadem ſit ratio Eloquentiæ Patrum, & Eloquentiæ profanæ?

36. Illud apud omnes Oratoriæ facultatis Tractatores extra dubium, & in confeſſo eſt, non eandem ſacræ, & profanæ Eloquentiæ rationem ſtatuendam, diſſidere illas inter ſe rebus pluribus, maximisque, habere utramque leges proprias, atque uti aliter dicendum eſt de lætis, aliter de triſtibus, de gravibus aliter, & aliter de exiguis: ita multo magis variandam Orationem, quando de ſacris potius, quam profanis rebus ſunt verba facienda. S. Proſper ſive, uti rectius dicam Julianus Pomœrius ejusdem ætatis ſcriptor, cum hanc ſibi quæſtionem propoſuiſſet: *Quid interſit inter Doctores, qui Eccleſiam ſimpliciter docentes ædificant, & eos, qui eloquentiam ſuam luculentis declamationibus jactant?* ita reſpondet: Declamatores ſuam, ſacros vero Doctores Chriſti gloriam ſpectare: illos abundare verbis, quibus inopiam rerum tegant, iſtos, quod dictioni deeſt, copia & pretio ſententiarum compenſare: illos denique favore vulgi, & plauſibus contentos de utilitate auditorum nihil admodum curare; quando iſti virtute divina prodeſſe ſtudent, & quæ dixerint, faciunt etiam opere ipſo compleri. * Recte id quidem, & veriſſime: at obiter tantum, neque enucleate ſatis in rem præſentem. Nobis, qui ex inſtituto hic verſamur, uti in quæſtione, ex cujus notitia plurima deinceps, magnique omnino momenti dependent,

* *L.* 1. *de Vita contemplativ. c.* 24.

pendent, fuſius multo, atque accuratius cum ex rebus ipſis, tum ex ratione oſtendendum eſt, inter profanum aliquem declamatorem, Patremque Eccleſiæ latum ſane diſcrimen, & longiſſimam diſtantiam eſſe. Hoc autem niſi ordine fiat, & pro rei dignitate ſtabiliatur, per ſe conſequens eſt, & ab oculato quovis facillime pervidetur, ea, quæ infra dicemus, prodeſſe haud poſſe magnopere, imo præſidii loco impedimentum potius non paucis eſſe allatura.

CAPUT I.

Differre Patres rebus plurimis ab Oratoribus Sæculi, atque adeo inter utrorumque Eloquentiam ingens diſcrimen intercedere.

Equidem non id ago, uti omnia undique conquiram, & proponam diſcrimina, ſed illa ſolum, quæ ſunt clariora, ſimulque juvare Concionatores noſtros ipſa lectione poſſunt. Itaque ante omnia ſtatuo, diſcernere Patres a profanis oratoribus oportere tum ipſo *loco*, ubi dixerunt, cum *perſona etiam*, quam geſſerunt, & *argumento*, in quo verſati ſunt: dein *finem* etiam longe alium ſpectaſſe oſtendam, alia media adhibuiſſe, & effectus denique diverſiſſimos apud Auditorem produxiſſe.

§. I.

Diſcrimen a loco, ubi Patres dixerunt.

37. Sancti Patres non utique in foro aliquo, non pro roſtris ad concurrentem plebem, neque etiam in ſcholis, & auditoriis Rhetorum, minime vero in Senatorum curiis, aut ad Judicum, Regumque tribunalia, ſed in templis Deo dicatis, in luce, & ſede religionis, in domo Dei ipſius verba facturi

conſiſtebant. Age enimvero, quiſquis es, locum mihi iſtum contuere! ſat ſcio, nihil invenies, quod ſanctum non ſit peculiari ratione, rebusque maximis, & graviſſimis deſtinatum. Ipſi adeo parietes, ſaxa ipſa ſpirant ſanctitatem. Et ibi quidem fidei noſtræ myſteria, Sanctorumque res geſtæ coloribus adumbratæ, ibi lavacrum cœleſte, hic tribunalia ſacra: illa ex parte Reliquiæ Martyrum: ex altera aræ, & menſæ diviniſſimo ſacrificio præparatæ, ipſumque Domini Corpus adorandum. Quæ pompa! quæ ſpecies ſanctiſſimæ gravitatis! Et quis tam profanus adeo, atque etiam ſceleratus eſt, cujus cor pertentare, & intimo quodam horrore perſtringere iſta non ſufficiant?

Jam vero ab hoc loco quam multa abeſſe convenit, quæ non dico, alibi tolerantur, ſed laudem quoque, & commendationem habent? quis huc aditus affectationi, fuco, jocis, & ſalibus? quis phaleras verborum, tornatas periodos, factorum quorumdam rerumque lepidas illas quidem, & veluti ſpirantes imagines, ſed operoſas nimium, aut inutiles, quis oſtentationem ullam aliam, ceterasque artis ineptias intromittat? Id enimvero juxta Athanaſium, Chryſoſtomum, Hieronymum eſſet concionem in ſpectaculum, & templum ipſum in caveam convertere; quia nihil fabulis cum veritate, nihil Satyrorum luſibus cum compunctione animi, nihil denique mundo cum Evangelio eſt. Nempe uti templa aliæ veſtes decent, aliæ picturæ, vaſa item, carmina, concentus alii, quam in aulis, in theatris, & ædibus privatorum eſſe ſolent; ne ſcilicet ædificationis loco offenſiones oriantur: ita plane & alias ibi dictiones eſſe convenit, alia longe eloquentia expromenda eſt, atque in profanis locis, & conſeſſibus plerumque adhibetur.

Atque hanc ego comparationem probe notari ab iis velim, qui in tanto rerum ſalutarium faſtidio

quavis

quavis pompa allici homines ad templa exiſtimant: atque inde ad concionum delicias argumentum ducere conſueverunt. Qua in ſententia Aprum illum in *Dialogo de Oratoribus* video fuiſſe. * Quamquam illi, quod de templis gentilium loquitur, facilius eſt ignoſcendum. Sed nempe non omnis apparatus, non luxus quilibet, non odores delicati, non veſtes leviculæ, non congeſta alia ornamenta, quæ oſtentationem vel mollitiem ſapiant, ei loco convenire poſſunt. Muſica vero, & Cantus theatrici, picturæque illæ, ubi jam in formoſulam mulierem, jam in toroſos lictores, jam in diductos rictus Faunorum, jam in extantes mammas, jam in terga nuda puſionum incidas, quidquid alii reclamant, tantum abeſt, ut juvent devotionem, ut impediant magis, aut omnino extinguant. Tenent enim oculos, animos autem avocant ſaltem, quos pervertere non poſſunt. Quam procul creditus Juſtinus *Quæſt.* 107. fides & inſtrumenta in ſcenis, conviviisque uſitata a templo arcet? quam acriter Bernardus in vanas Eccleſiarum picturas, & ceterum apparatum *Apologia ad Guilielmum* invehitur? quam ſolicite *Epiſtola* 112. ad Arremarenſes cavet, ne vel *Lectiones*, nec *Hymni*, nec Cantus ipſe in *Officio* quid habeat, quod Eccleſiæ gravitati non reſpondeat?

Itaque Patres hæc omnia ſolicite ſpectantes tanto longius in Concione recedendum ſibi a via illa putarunt, quam Oratores alii tenuiſſent; ſacrilegii, & profanationis genus exiſtimantes, ſi loci diſcrimen nullum facerent, & quidquam mundani pulveris illuc ſecum apportarent. Et ſane ſi Eccleſiam a populo *ut cœlum adiri* volebant, quemadmodum S. Nilus loquitur, & *in ea nihil loqui, aut agere* ſinebant

* Vel Taciti eſt, vel Quintiliani.

bant *quod terram ſaperet:* * ſi toties graviſſimis verbis ſuum ſacris locis honorem aſſerebant: ſi contra ipſos Principes, & Cæſares templorum ſanctitatem tuebantur, ſi zelo domus Dei, qui Chriſtum comederat, incenſi, irreverentes a Communione adeo arcebant, pœnasque cœleſtes in eos palam advocabant: nonne quantam maximam poterant reverentiam divinis ædibus habere ipſi ante alios omnes debuerunt? Id niſi facerent, eadem lingua, qua ceteros officii commonuiſſent, & vehementer eſſent cohortati, contradixiſſent ſibi, atque adeo illic peccaſſent ſtudioſe, quo aliorum peccata mundatum advenerant. S. Gregorius Nazianzenus ex capite hoc præcipue urbanitates, & facetias neſcio quas inſectatur, *a foro*, ut loquitur, *ad ſancta, & a theatris ad ſacrarium translatas, ita ut duæ jam apud Chriſtianos Scenæ ſint, inter quas id duntaxat intercedat diſcriminis, quod illa omnibus, hæc quibusdam tantum pateat, illa rideatur, hæc in honore ſit, illa theatrica, hæc ſpiritualis nominetur.* Concluditque graviſſima Apoſtoli conteſtatione: *Vos teſtes, & Deus! nos ab hac parte minime ſtare.* ** Idem aliud quid in eandem rem conqueritur, non ſine gemitu, atque intimo ſenſu calamitatis: *Fuit quondam tempus*, inquit, *cum res noſtræ florerent, & præclare ſe haberent: cum nimirum ſuperflua hæc, & verborum lepore, atque arte fucatà tractandæ Theologiæ ratio ad divinas caulas ne aditum quidem habebat, verum idem erat calculis ludere, inverſionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis, & laſcivis corporis flexibus ſpectatores ludificari, quod novi quidpiam, ac curioſi de Deo vel dicere,*

* In *Congerie variorum capitum.* Vide etiam Magiſtrum Nili Chryſoſtomum *Hom.* 36. *in* 1. *ad Corinth.* & alias fuſius hoc perſequentem.

** *Orat.* 27. *n.* 2.

dicere, vel audire: ſimplex contra, ingenuaque oratio pietas exiſtimabatur. At poſteaquam Sexti, & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam ac malignus morbus, in Eccleſias noſtras magno noſtro malo irrepſerunt, ac nugacitas doctrinæ, atque eruditionis opinionem tulit, quodque Actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ut novi aliquid dicamus, vel audiamus: O quis Hieremias confuſionem noſtram, caliginemque deplorabit, qui ſolus lamentationes calamitatibus exæquare novit! Cui conqueſtioni exemplum Arii illius infeliciſſimi hæreſiarchæ ſubjungit, qui Alexandriæ cum diceret ad populum, labem eam in templa invexerat: ex quo extrema ſane mala auditoribus deinceps evenerunt, & ipſemet, qui locum ſacrum ita profanaverat, hanc quoque petulantis, & effrænatæ linguæ pœnam dedit, ut non alio, quam obſcœno, & impuro loco extingueretur. * Sed ante omnia legendæ ſunt Heleni, Hymenæi, Theophilis & ceterorum Epiſcoporum accuſationes, qui inter alia & hoc de Paulo Samoſateno vehementer conqueruntur, quod Eccleſiam velut in Auditorium, & theatrum converterit, & contra omnium aliorum morem dicens, non ut Oratorem Evangelicum, ſed Sophiſtam profanum, eumque ſumme arrogantem ſe gesserit in prædicando. **

38. Atque ex iſtis generibus profanationum facile ſit de reliquis etiam judicare, quæ loci hujus majeſtati aut æque parum congruunt, aut magis etiam adverſantur. Itaque hoc in argumento non immorabor diutius, id exoptans unice, uti illi, quos eidem nunc cum Patribus officio admotos videmus, ſi non alibi, at certe in ipſo Eccle-

* *Orat.* 21. *n.* 11. & 12.
** Vide Euſebium *L.* 7. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 30.

Eccleſiæ pulpito modeſtius gererent ſeſe, reſpicerent nonnunquam loci ſanctitatem, ipſumque corpore præſentem Deum, ne deflecterent alio oculos, ne majorem ſervorum, quam Domini rationem haberent, ne habitu, actione, verbis, totoque homine parum differrent a ſæcularibus, qui cauſas declamitant, aut certe ſi iſtuc impetrare ab illis jam non licet, ſaltem non minus verecunde in templo Domini, quam in Magiſtratuum, & Nobilium ædibus verſentur. Profecto enim indignum eſt, dicere te publice, neque ſcire ubi dicas, levitatem vero, arrogantiam, & cetera ſtudia vanitatis ad aras usque comites trahi ab eo, qui easdem ab omnibus locis, etiam iis, quæ nihil habent religionis, ex officio deberet propulſare.

Quod ſi ſunt, qui ne ſic quidem contineri poſſunt a ſæculari genere dicendi: eant ſane, anteaquam cathedram conſcendunt, pias imagines tollant, extinguant ſacros ignes, ſubmoveant altaria, cathedram ipſam in ambonem aliquem, aut ſcenulam convertant. Si vero iſta vel cogitare animus horret: at omittant ſaltem preces ante Concionem, auferant Crucem ex oculis, obnubilent, exportent e templo totum illum apparatum Religionis, ac Sanctitatis, & tum denique gerras illas ſuas, putidasque merces expromant. Quamquam ligna ipſa mutique lapides de pariete clamabunt, & obſtrepent vaniſſimæ orationi, erubeſcentes ad habitatoris ſui injuriam, nec ferentes, quod abjecta divinarum Literarum gravitate, plena ſuaviſſimæ & intimæ eloquentiæ, non niſi profanis clamoribus debeant perſonare.

§. II.

Diſcrimen ex perſona dicentis, quam Patres geſſerunt.

39. Nolo hic exaggerare dignitatem paſtoralem, quæ in Patrum pleriſque magna, in non paucis

paucis ſumma omnium fuit. Aliam intelligo humana majorem; quod qui loquitur in Eccleſia, non ſuo, vel alterius hominis, uti profani Oratores, ſed plane ipſius Chriſti nomine loquatur. Quid enim Orator ſacer, ſi propriam, ac genuinam notionem inquirimus, quid inquam aliud, niſi legatum, & internuntium Dei ſignificat? hujus enim mandato hic comparet, hujus voluntatem declarat, hujus leges promulgat, hujus gratiam, & reconciliationem offert. Vades ejus ampliſſimæ dignitatis ſunt ipſæ divinæ Literæ, idoneæ certe, quæ fidem faciant ubique, & inveniant. Ita enim aſſeveranter Paulus pluribus locis, & quidem 2. *Cor.* 5. *v.* 19. ita ait: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquvam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto: reconciliamini Deo!* Atque inde eſt, cur Apoſtoli dimiſſis reliquis ſanctiſſimis licet functionibus, huic uni ſe darent, munus prædicandi nunquam transferrent in alios, ſed tanquam præcipuum, & ſupremum omnium per ſe ipſi adminiſtrarent. *

Patres, qui Apoſtolis in dicendi provincia primi ſucceſſerunt, officii quoque privilegia, & auctoritatem, quam illi habebant, ſunt conſecuti. Sed non minus onera illorum omnia ſubeuntes, curas quoque, labores, ipſamque rationem dandam ſibi ultro accerſiverunt. Semper enim eſt eximiæ dignitati graviſſima pariter obligatio adjuncta. Et hic quidem per ſe patet, nulli eos induſtriæ, nulli ſtudio, nulli contentioni parcere debuiſſe: ita, ut ſi defuiſſent partibus ſuis, non ſolum indignos ſe tanto munere præſtituri, ſed cum aliis culpa ſua pereuntibus & ipſi ſimul perituri fuiſſent. Quæ res quam attentos, quam ſolicitos

* *Actorum* 6. *v.* 5.

citos Patres habuerit, omnem ſuperat orationis facultatem. Quantum enim ſub hoc onere veluti fatiſcens Nazianzenus ingemuit? Quantum Chryſoſtomus cum alias, tum jam in anteceſſum libris iis, quos de Sacerdotio conſcripſit? quantum Auguſtinus Epiſtola ad Valerium Epiſcopum, & hom. 25. ex 50? quantum Gregorius Magnus in *Paſtorali cura*, & paſſim alibi? quantum tot alii graviſſimi Patrum, quos fuſum ſit vel nominare? Sed quoniam de hac obligatione infra redibit mentio, ne quid inutiliter repetamus in ea connexione rerum, hic quidem dignitati, & officio potiſſimum inſiſtemus.

Igitur Patres Legati, & Internuntii divini erant, & velut literas de cœlo miſſas ferrent, linguam ſuam ſoli Deo commodabant. Iſtuc quia ipſi auditoribus oggerebant aſſidue, quod ante alios luculenter Chryſoſtomus fecit *: æquum profecto erat, uti ipſi quoque ejus perpetuo meminiſſent, ut juxta Apoſtolum loquerentur *quaſi ſermones Dei*, ** atque adeo neque in perſona ſua, neque ipſa ratione docendi quidquam admitterent, quod grave, quod ſanctum, quod divinum non eſſet. Non me fugit, quod Hiſtoria tam Græca, quam Romana commemorat pluribus locis, graviſſimas legationes, & quarum maxime Reipublicæ intererat, Oratoribus fuiſſe demandatas. Sed quid mandata omnia, negotiaque hominum, & regnorum ad dignitatem Legati Jeſu Chriſti, Regis Regum, & Domini Dominantium, quemadmodum in femore ſuo ſcriptum habet? in hanc vero auguſtam ſpeciem intentis Patribus non vacabat floſculos legere, ſcrutari arculas Rhetorum, aut aliud quidquam eorum facere, quod dignitatem tantam, nunquam ſatis extollendam vel minimum dedeceret.

A Deo

* *Præſertim Homil.* 3. *in* 2. *ad Theſſalonicenſ.*
** 1. *Petri c.* 4. *v.* 11.

A Deo ergo non ab hominibus dicendi artes addiſcebant, ad divinas Literas exigebant omnia, quæcunque erant dicturi, neque uti nos ad pluteum, ſed ad ſcamnum precatorium, vel pedes Crucifixi concipiebant orationes ſuas, & ubi cathedram conſcendiſſent, aliis & ipſi oculis reſpiciebantur ab omnibus, quam declamatores, & præcones noſtri ſolent, qui ſive ſuo, ſive aliorum nomine publice ſunt verba facturi. Ne itaque & nos Sacros Doctores proponamus nobis, uti Græci, Romanique Oratores ſuos: Sed veluti homines cœlo delapſos conſideremus, qui, quemadmodum de Chriſto dictum eſt, *docerent tanquam poteſtatem* habentes, & non ſicut *Scribæ, & Phariſæi*, & de quorum ſermone attonita turba muſſitaret: *nunquam ſic locutus eſt homo;* quod viderent nempe omnes, nihil mundo, nihil gratiæ, nihil perſonis dare eos, nec tam his probari velle, ad quos miſſi fuerant, quam illi, cujus nomine, cujus mandato, auctoritate, ac exemplo omnia faciebant, fixis ſemper oculis illum contuentes, uti amplitudini collati muneris fideliter reſponderent, nihilque præferrent, quod non dico deſciſceret a mandatis ejus, ſed auditorum animos vel momento diſtineret, aut alio avocaret. Ita nimirum a Prophetis in Veteri, & ab Apoſtolis in Nova lege factitatum ſciebant, & etſi non ſemper, quemadmodum illi, verbis prodigia adderent, nihilominus, quod idem docerent ipſi quoque, & officio eodem fungerentur, eo acrius inde exſtimulabant ſeſe, uti præſidiis aliis defectum illum miraculorum compenſarent. Quæ ſi cogitaverimus in libris eorum volvendis, non requiremus ea, quæ in profanis ſolemus admirari, imo ſi occurrunt aliqua, ubi opinione noſtra parum placere potuit auditoribus, eos ita locutos: at Deo, dicemus, haud dubie placuit, cujus ſi non afflatu, & impulſu aliquo, at nutu certe, ac voluntate fa-

ctum eſt, ut ita loquerentur. Hi certe Patrum ipſorum ſenſus erant, non ſine intima conſolatione, utcunque demum res cecidiſſet. *Laborum quippe ſolatium illud ſatis erit*, ait de Concionatore Os Aureum, *omniumque maximum, ſi conſcius ſibi fuerit, ſe ad Dei placitum doctrinam concinnaſſe ſuam.* *

40. Sufficere hæc poterant perſonam Patrum generatim conſideranti, uti a profanis Rhetoribus diſtinguantur: Sed quædam ſingillatim adhuc perpendenda ſunt, quæ ex munere hoc, & auctoritate eorum conſequuntur. Atque iſtuc primo loco commemorandum eſt, quantum illi in pulpito ſacro a riſu, & nugis abhorruerint, quantumque adhibuerint ſtudii, ne qua excidere ſibi paterentur, queis muneris gravitas, & horror ſacer vel minimum infringeretur. Audiamus eorum locos aliquos, aptiſſimos ſane ad pudorem Rabulis iis incutiendum, qui hiſtrionicam exercent in Cathedra, & jam fœminas exagitant, jam alios quoscunque, maxime vero ſeipſos ridiculos faciunt. Necdum enim lues illa perſanata eſt, quæ Cathedras Germaniæ plurimas pervaſit cum offenſione maxima, & perpetuo catholici nominis apud heterodoxos opprobrio. Sic enim neceſſe eſt, ut ſolvatur metu populus, & in cachinnos effuſus deperdat animi propoſitum, quo in templum convenerat, nihil jam minus, quam Deum, deique verba cogitando. Graviter, & quam maxime in rem noſtram, Carolus Regius *Libr. IV. Orat. Chriſt. cap.* 16. agens de circulatoribus iſtis, qui ſalibus, & facetiis populum trahunt, exclamavit: *Bone Deus! ubinam apud Sanctos Patres ſimilia legerunt?* Et S. quidem Chryſoſtomus *hom.* 17. *in ad Epheſ. ad finem* in facetias omnes quidem fuſe invectus, maxime vero eas

---

* *Libr.* 5. *de Sacerdotio num.* 7.

eas lamentatur, quæ non ſolum in Eccleſiam eſſent introductæ, ſed ipſas etiam Scripturas attigiſſent: aitque hæc verba eſſe animæ deſertæ a pietate, ac reverentia; dein altius aſſurgens, interrogat, an non fulminibus ſint digna? S. Hieronymus *in Iſaiæ cap.* 3. *Ille*, inquit, *eſt Doctor Eccleſiaſticus, qui lacrimas, non qui riſum movet.* Et *Commentar. in Eccleſiaſten cap.* 9. *ad finem*: *Quemcunque*, ait, *videris in Eccleſia declamatorem, & cum quodam lenocinio, ac venuſtate verborum excitare plauſus, ac riſus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare, ſcito ſignum eſſe inſipientiæ tam ejus qui loquitur, quam eorum, qui audiunt.* S. vero Bernardus *Libr.* 2. *de Conſiderat. cap.* 13. ſuperlatione admirabili: *Inter ſæculares*, inquit, *nugæ nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* Et iterum *ibidem*: *Conſecraſti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegum eſt. Labia Sacerdotis*, ait, *cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore ejus, non nugas profecto, vel fabulas. Verbum ſcurrile, quod faceti, urbanive nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves.* Quod ſi ita domeſticas ſacrorum hominum ſcurrilitates Bernardus inſectatus eſt, quid de publicis dixiſſet? & ſi nec in privatis colloquiis Sacerdotem Dei ſuſtinet jocantem, quomodo in eos inſurgeret, qui de ſacro etiam ſuggeſtu audent ineptire? S. Ambroſium, quem primum afferre oportebat, propter apertiſſimum diſcrimen, quod hic inter noſtros, & exteros ſtatuit, ultimo loco reſervavi. Is inſtituens Clericos ſuos ita *Libr.* 1. *Officior. cap.* 23. ratiocinatur: *Multa de ratione dicendi dant præcepta ſæculares viri, quæ nobis prætereunda arbitror, ut de jocandi diſciplina. Nam licet interdum honeſta joca, ac ſuavia ſint, tamen ab eccleſiaſtica abhorrent regula; quoniam quæ in Scripturis Sanctis non reperimus, ea quemadmodum uſurpare poſſumus?*

cavendum etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem ſeverioris propoſiti. Væ vobis, qui ridetis; quia flebitis, ait Dominus, & nos ridendi materiam requirimus, ut hic ridentes illic fleamus? Viden virum ſanctiſſimum, ac ſapientiſſimum interdicere ſacerdotibus ea re, quam ſæcularibus non ſolum condonat facile, ſed genus adeo diſciplinæ, atque artem eorum aliquam eſſe confitetur? nimirum ab illis, qui tantam, tamque gravem perſonam non ſuſtinebant, qualem noſtri, velut jure ſuo ea interdum requirit auditor, quibus audiendi tædium levet: neque olim cum ipſi Judices ſubriderent, vitio dabatur; modo jocus ille, quem expromebat orator, a decoro non abfuiſſet longius, & virum magis urbanum, quam ſcurram prodidiſſet *. Certe jucunditate quadam reſperſæ ſunt ſummorum hominum judiciariæ etiam actiones, recteque oſtendit Midletonus *in Hiſtoria Romana ætate Ciceronis* hac quoque in parte Tullium ſuum valuiſſe plurimum, ejusque in pungendo, & perfricando gratiam ad Populum, & Senatum ſane maximam extitiſſe. Relinquamus ergo illis, quod ipſorum eſt, nec quod in profana perſona decorum fuit, idcirco & Patribus, & nobis dignum arbitremur, ſed, quoniam in Evangelica ſeveritate laſcivia locum non habet, qui ſecus faxint, graviſſimi piaculi reos, & mentis omnis, judiciique expertes ducamus, eos præſertim qui ipſas divinas Literas ad jocularia convertunt, quam temeritatem cum Tridentinum in ſæcularibus quoque hominibus deteſtetur, quanto magis in Sacerdote, & Legato Chriſti abominanda eſt? Ego ut candide fatear, in ea ſemper opinione fui, nec quisquam facile eam mihi eximet, interdicendum talibus ſacro pulpito eſſe, & ſi non paruerint, linguam potius evellendam, quam permittendum, ut munus præ-

* Lege Quintilianum *Libro VI. cap.* 3.

præconis tam ſublime, tam ſanctum, ac ſalutare dedecore iſto deinceps, & ignominia aſpergant.

41. Eadem de cauſa, quod cæleſtes legati, internuntiique erant Patres, libertatem in dicendo maximam habere, quamque fieri longiſſime poterat, ab omni ſpecie aſſentationis abeſſe debuerunt, Qua in re latum denuo inter ipſos, & oratores ſæculi diſcrimen intercedit. Profanus enim orator nomen quidem adulationis, non adulationem ipſam fugit, & quoniam nihil habet, quod caveat magis, quam offenſiunculas auditorum, placere ubique, & tempori ſervire adlaborat. Quod ſi neſciat facere, aut certe negligat, tacere illi multo magis præſtat; quam loqui. Legatus autem Jeſu Chriſti inſtat opportune, importune, arguit, obſecrat, increpat, & neminem niſi Deum ſuum habet, quem revereatur. Itaque Divus Hieronymus, quando *in cap.* 3. *Iſaiæ* commentatur, ad verba illa: *Popule meus, qui beatum te dicunt* &c. prudenter jubet a genere illo placendi omnino abſtinere in concione, quidquid inde cogitent aliqui, quidquid muſſitent, quidquid criminentur. *Spernentes hominum judicia,* ait, *nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contriſtemur.* Idem *Libro I. Dialogor. adv. Pelag.* adulationem a ſervis Chriſti ad hæreticos deceptores, & ventris ſui cultores amandat, ipſisque adeo gentilium Philoſophis odioſam fuiſſe dicit. Sed Salvianus quoque audiendus eſt, quo ſane nemo plus animi oſtendit hac in parte, adeo tenax muneris ſui, adeo ab aſſentatione omni remotus, adeo liber, acerque in reprehendendo fuit. Non enim ille aliquos duntaxat perſtrinxit, ſed omnes, eodemque loco habens & ſuos, & exteros, ne quidem nomen ſuum texit in *Libris de Gubernatione*, tantum abeſt, ut offenſionem vereretur. Sic autem præter alia *initio Libr. VIII. de Gubernat. Dei* ait: *Non tam illud, quod unusquisque eorum cupiat audire,*

quam quid nos dicere deceat, conſiderandum eſt. Et iterum *Libr. IV. ad Eccleſiam Cathol. in fine.* *Dura hæc & auſtera ſunt? Sed quid facimus? non licet rerum mutare naturas, & enuntiari aliter veritas non poteſt, quam vis ipſa exigit veritatis.* S. Auguſtinus vero graviſſima obteſtatione hortatur, ut in omnibus Oratorum officiis deficiamus potius, quam vera proloqui, & juſta dubitemus. Vide *Libr.* 4. *de Doctrin. Chriſtian. caput* 14. Denique Ambroſius Epiſt. infra laudanda: *Nihil*, ait, *in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod ſenſerit, non libere denuntiare* &c. Et profecto, qui ſecus faceret, nonne ludificaret Deum, auctoritatemque & poteſtatem ab eo traditam contra ipſummet adhiberet? dein quæ ſimulatio, quæ inclementia & perfidia in ipſos homines! quam qui admiſerit, pejor homicida eſt, judice Chryſoſtomo; nam *homicida quidem* (ait *Serm. Non eſſe ad gratiam concionandum*) *corpus tantum interficit; qui vero ad gratiam concionatur, & ſegniores reddit auditores, animam perdit; atque ille quidem præſenti morti tradit, hic vero perdit animam, & ad æternas pœnas ſuppliciaque transmittit.* Hæc & his ſimilia paſſim inculcant Patres: & operæ pretium fuerit, non rationes tantum eorum, ſed exempla quoque ipſa, & formulas quasdam protuliſſe. Nota eſt autem plurium libertas, & magnitudo animi erga hominum omne genus, eorum etiam, quos præ ceteris formidare omnes ſolent, Magnates, ac Purpuratos, Principes fœminas, Reges quoque & Auguſtos. Superi! quam fortitudinem erga Conſtantium Imperatorem Athanaſius, Lucifer Calaritanus, Hilarius Pictavienſis exprompſerunt? qua libertate Ambroſius in plures ſua ætate Imperatores, Chryſoſtomus vero nominatim in Eutropium, Gainam, Eudoxiam Auguſtam eſt uſus? quam arduam frontem, quam imperterritum pectus Iſidorus Peluſiota malis

Cleri-

Clericis, Leo barbaris Regibus, & hæreſum patronis, Gregorius Magnus Mauritio Cæſari, Bernardus ſummis in Eccleſia, & mundo hominibus oppoſuerunt? unum alterumve ejus rei ſpecimen audiamus, ex quo facilior de reliquis conjectura ſit: ubique videbimus, neque in licentiam, neque furorem, quod legatis & oratoribus ſæculi toties contigit, Zelum hunc degeneraſſe. S. Cyprianus in celeberrima illa *Epiſtola ad Cornelium Romanum*, cum multa graviſſime, fortiſſimeque in conjuratos adverſum ſe Schiſmaticos, & Apoſtatas dixiſſet, inter alia & hæc habet. „ Si judicium noſtrum voluerint experiri, veniant. Denique ſi qua illis „ excuſatio, & defenſio poteſt eſſe, videamus „ quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum. Nec Eccleſia iſtic „ cuiquam clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur. Patientia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones „ noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo, „ ſtudio, & voto colligendæ fraternitatis, etiam, „ quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio „ religionis examino, delictis plus quam oportet „ remittendis pene ipſe delinquo. Amplector „ prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, „ & ſimplici confitentes. Si qui autem ſunt, qui „ putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis „ regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non „ lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere: pro certo habeant, contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti „ invicta, & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, „ & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, non

„ poteſt vinci. * „ Ecce quibus gradibus, & qua præmiſſa lenitate viam ſibi ad ſupremam libertatem, & provocationem invictam præſtruxerit? Locus iſte tam memorabilis Carolo Rollino viro eloquentiſſimo eſt viſus, uti *L. IV. de Ratione docendi, & diſcendi literas humaniores* ſic pronuntiaret; eum quam placidum parentem, tam invincibilem Martyrem exhibere, & velut perfectum exemplar fortiſſimæ, & ſublimiſſimæ Eloquentiæ poſſe proponi, quæ vel illi Demoſthenis nihil plane concedat. Plures ex eodem S. Doctore fortitudinis hujus teſtes loci ſuperſunt, & quoſdam Perſonius noſter collegit, præſtantiſſimo operi, quod *Viæ ducem* inſcripſit, auri, & gemmarum inſtar inſertos. S. vero Ambroſius *Libr.* 5. *Epiſt.* 29. ad Theodoſium Auguſtum tam admirabilis mihi eſt viſus, ut legentem in ſtuporem daret. Nec minus placuit, quæ mox ſequitur *ad Marcellinam Sororem* data, in qua repetit ſermonem in Eccleſia quoque ad Cæſarem habitum, & inſigni artificio Evangelio, ac Epiſtolæ eo die lectis attemperatum. Porro neutrum hic oppono, quod exſcribere omnia labor minime neceſſarius, partem autem vel minimam omittere piaculum eſſet futurum. Itaque ad ipſummet Ambroſium Lectorem remitto; præſertim quod & alia in eo genere plura ille magno ſane numero poteſt ſubminiſtrare.

Qua vero fortitudine ſuam ubique perſonam Chryſoſtomus tuetur? Diffluit ſæpe nimia in ſuos charitate: ſed ubi invehitur in perditos, aut negligentes, libertate pariter, & animo æqualem nullum habet. *Homil.* 8. *in Acta*, cum Zelo ſuo adverſum jurantes totus indulgeret, inter alia ita loquitur: „ Quotidie clamamus, inſonamus in au„ res veſtras, & nemo eſt, qui audiat, etſi nihil „ vehementius proferamus. Timeo, ne intempeſtivæ, „ &

* *Epiſtola numero* 55.

„ & nimiæ indulgentiæ in futuro illo die rationem „ reddamus. Ideo magna, & clara voce omnibus „ prædico, & teſtificor, ut qui ſic prævaricantur, „ quique ea, quæ Maligni ſunt, loquuntur (hoc eſt „ enim juramentum) ne limina eccleſiaſtica aſcen- „ dant. Præſtitutum vero tempus ſit vobis hic „ menſis, ut corrigamini. . . . Scio quosdam eſſe, „ qui nos irridebunt: at melius eſt nos nunc irri- „ deri, quam tunc uri. Quis enim quaſo ſanæ men- „ tis de ſervato præcepto ridebit? Quod ſi irri- „ deant, non nos, ſed Chriſtum irridebunt. In- „ horruiſtis ad tale dictum? Hoc bene novi. Si „ ego hanc legem induxiſſem, me riſus ille ſpecta- „ ret: ſi autem alius Legislator eſt, ad illum tranſit „ irriſio. Ipſe Chriſtus aliquando conſputus eſt, „ atque in maxillam percuſſus, & alapis cæſus. „ Hæc etiam nunc fert, & nihil diſſimile. Ideo „ gehenna paratur, ideo vermis ille immortalis. „ Ecce rurſus dico, & teſtificor, rideat, & ſub- „ ſannet, qui voluerit. In hoc poſiti ſumus, ut „ rideamur, ſubſannemur, ac omnia patiamur, „ Purgamenta mundi ſumus ſecundum beatum Pau- „ lum. Si quis noluerit hoc præceptum perficere, „ hunc verbo, quaſi tuba prohibeo, ne limina ec- „ cleſiaſtica pertranſeat; ſive princeps ſit, ſive ille „ ipſe, qui diademate cingitur. Aut me ab hoc „ principatu dejicite, aut manentem ne in pericula „ conjicite. In hunc thronum aſcendere non au- „ deo, niſi quid magni præſtitero. Nam ſi perfice- „ re non poſſum, melius eſt infra ſtare. Nihil enim „ miſerabilius præſide, ſubditis nihil utilitatis affe- „ rente. „ Eandem fere rationem tenet, imo vehe- mentius etiam, & facundius inſurgit *Hom.* 8. *ex ante ineditis apud Montfauconum a pag.* 272. apud quem etiam *Tom.* 7. *p.* 232. cum jurantibus hanc ipſam pœnam non ſecus ac fornicatoribus, adulteris, & homicidis comminatus eſſet, addit mira libertate:

Ne quis dives, ne quis e primoribus inſletur, vel ſupercilia attollat. Hæc omnia mihi fabula ſunt, umbra, & ſomnium. Nullus enim eorum, qui opulentiores ſunt, mihi tunc patrocinabitur, cum accuſabor, & rationes dare cogar, quod non cum debita vehementia leges Dei vindicaverim. Ibidem pag. 790. de iis, qui palam indigni ad Synaxin accederent, loquens, fortiſſime aſſeverat, ante fuſum iri ſanguinem ſuum, quam talis quiſpiam Sanguinem Domini a ſe aliquando extorqueret. Et ita ſæpe Chryſoſtomus retinentiſſimus dignitatis ſuæ, & qui ad nullius unquam ſive genus, ſive opes, ſive dignitatem expavit.

42. Neque intra verba ſolum ea firmitas, ac fortitudo ſtetit. Et quando fruſtra clamabant, & minæ, terroresque inſtabant, & cum adverſis omnibus eorum prædicatio confligtabatur, nihil admodum commoveri ſe idcirco illi paſſi ſunt. Nam nec lingua vinciri, nec ſtylus extorqueri e manibus potuit. Vidiſſes rupium inſtar inter hyemem, & procellam extantes, aut velut annoſas quercus altiſſimis radicibus defixas, quæ aëris frementis iras, & vim omnem incuſſam immotæ exciperent. Legatur Chryſoſtomi ſermo, antequam iret in exilium, & alia quæ poſt ipſo in exilio conſcripſit. Sed nihil fortius iis, quæ *ad finem Homil. 6. de Laudib. Pauli* ſcribit: *Eum ſiquidem*, ait, *qui iſtud ſuſcipit officium, non oportet mollem eſſe quemdam, atque reſolutum, ſed fortem, & per cuncta robuſtum. Neque enim ſaltem attingere quiſquam debet præclari hujus muneris functionem, niſi paratus ſit millies animam ſuam tradere in mortem, atque diſcrimina. Dicit enim ipſe Dominus Jeſus: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me *. Qui ergo non tali animo eſt, multos etiam alios*

* Hæc verba Chryſoſtomus literæ ubique inhærens rectiſſime de iis quoque, qui Chriſtum in publica vita ſequuntur, exponit.

alios ſuo perdit exemplo, magiſque utile eſt, ſi quieſcat, ſibique tantum vacet, quam ſi procedat in medium, & onus ſuis viribus majus aſſumat. Sic enim non propriam ſolum, ſed etiam multorum ſibi creditorum perdit ſalutem. Et revera quomodo non abſurdum eſt, ut cum aliquis neſciat artem gubernandi, pugnandique cum fluctibus, nec ſi mille rebus adigatur, eligat ad clavum ſedere: & ille, qui ad prædicandi pergit officium, temere ad iſtud, & utcunque contingit, accedat, atque innumerabilium rerum curam abſque ulla conſideratione ſuſcipiat? Non itaque navium gubernatorem, non ad beſtias dimicantem, non ludo gladiatorio deſtinatum, non alium quempiam omnino ſic ad diſcrimina, & mortes paratam, atque expoſitam oportet habere animam, ut eum, qui ſuſcipit officium prædicandi. Nam & pericula profecto majora, & adverſarii ſæviores, & non unum quoddam mortis genus incumbit, nec uſquam prorſus ſimili conditione certatur. Cælum namque hic in præmio, in ſupplicio gehenna proponitur, & æterna animæ ſalus, atque perditio.

Sed & de illo genere fortitudinis, atque conſtantiæ erat exemplum afferendum, quæ oſtenditur, ubi ſiniſtri concionum ſucceſſus ſunt, & auditores ſi non repugnant pertinaciter, vel dicteriis etiam, & calumniis petunt orationem, certe infrequentes admodum comparent. Eſt enim id oppido difficile, & multis moleſtius ſæpe videtur rarum, quam minus faventem habere auditorem. Verum de hoc infra, ubi finem Concionatoris expendemus, dicetur *. Qui plura de libertate, & fortitudine Patrum legere cupit, adeat Cyprianum *ad Demetrian.* Luciferum Calaritanum in plerisque quidem opuſculis, maxime vero illo: *Moriendum eſſe pro filio Dei.* Item S. Hilarium Pictavienſem

* Rurſum *Libro quarto capite ultimo*; ubi de moribus oratoris, cum infrequens eſt populus.

Libr. contra Conſtantium Auguſtum. S. Baſilium *Epiſtola ad Imperatorem Julianum apoſtatam.* Item Nazianzenum *Oratione* 20. ubi de ejusdem ad Præfectum Cæſaris admirabili ſermone, & reliqua conſtantia. Chryſoſtomum *Homil. cum de expulſione ipſius ageretur.* Homil. *cum Eutropius extra Eccleſiam deprehenſus eſſet.* Homil. 7. *in ad Coloſſ. ſub finem. Serm Non eſſe ad gratiam concionandum.* Item *Epiſt.* 14. *& Homil. poſt terræ motum*, ubi velut e ruinis eluctatus in Cathedram, conſternatis omnibus confeſſus eſt, ſuccuſſionibus illis nihil animum ſuum commotum, neque aliud in ea calamitate præter cauſam ejus, peccatum ſe extimuiſſe. Adde Salvianum in omnibus fere libris ſuis. S. Bernardum *in Epiſtolis paſſim, in Libris de Conſideratione*, & ubi non?

Temperatam vero eam libertatem, & velut vino oleum admiſtum habent Nazianzenus *Orat.* 17. Ambroſius in omnibus fere Epiſtolis ad Imperatores datis, Chryſoſtomus *Hom.* 4. *in ad Hebræos* prorſus eximie, & iterum *Hom.* 12. *in Joannem, &* 20. *ex variis in Matthæum Locis ante medium. Sermone* item *non eſſe ad gratiam concionandum.* Auguſtinum dein *L. de utilitate jejunii ſub finem*, & *Hom.* 24. *ex* 50. Sanctum Gregorium Magnum *Epiſtola ad Mauritium Imperatorem.* Quæ omnia, aut his ſimilia, ſi legantur ſæpius, fors reviviſcet apud aliquos grandis ille ſpiritus miniſtrorum Chriſti quam ſuavis, tam fortis, ac liber, qui ſane ſæculo noſtro, ubi tantopere opus eo foret, quam maxime videtur defeciſſe.

§. III.

Diſcrimen ex argumento, & materia, quam Patres pertractarunt.

43. Sed etiam ex argumento, & materia rationem ducebant Patres, eamque ex præcipuis unam, cur

cur aliter, quam ſæculi oratores dicerent ad populum. Plato *in Dialogo de Voto* explicans argumenta Rhetorum ſui temporis, ait, eſſe illa *de bello, & pace, de mœnibus conſtruendis, vel de portubus præparandis, muniendisque, & ſummatim quidquid ipſa civitas adverſus aliam civitatem, vel ſecum ipſa agit* *. Nihil horum omnium apud Patres requiras. Ut enim quædam præſertim de moribus, & inſtitutis majorum, de amore patriæ, de ſcholis, de agris, de mercimoniis magnam laudem etiam ſingula habent, talia certe ſunt univerſa, ut dignitate, pretio, gravitate cum noſtris in comparationem venire omnino non poſſint, tantumque diſtent, quantum terram inter, & cœlum diſcriminis eſt. Dum ergo ſæcularibus his ſolum de rebus certamen eſt, quæ cum a pueris geruntur, nugæ, cum a viris, negotia vocantur, uti Auguſtinus præclare dixit: dum vel ex Stoa, vel Peripato, vel Academia, ex Annalibus item, duodecim tabulis, ſcitisque Legulejorum omnia ſua habent: Superi! quantus ſe campus noſtris illis aperit, quibus nonniſi ex Sacris Literis, ex Verbo divino, ex veritatibus, quas ipſe Deus prolocutus eſt, argumenta petuntur? quibus de ſupremi Dei cultu, infinitis perfectionibus, operibus admirandis, ineffabilibus beneficiis, ac Sacramentis, legibus deinde inconcuſſis, quæ & promiſſa, & comminationes tantas adjunctas habent, diſceptandum eſt? quibus explicanda vitæ hujus inconſtantia, & brevitas, horror, & incertitudo mortis inculcanda, de tremendo illo examine, & fulminatrice ſententia, de ruina collabentis mundi, de inferni ignibus nunquam reſtinguendis, de ſorte, ſocietate, & gaudiis electorum, verbo, de rebus non terrenis, ſed cœleſtibus, non humanis, ſed divinis, non caducis, ſed per-

* Vide etiam Quintilianum *Libro II. cap.* 21.

perpetuis, non demum dubiis tantum, aut veriſimilibus, ſed certis omnino, atque indubitatis eſt colluctandum, eædemque jam contra infideles, & hæreticos, jam alios impios, & conſceleratos homines propugnandæ ſunt, ac vindicandæ? Quid majus. quid grandius ad generis noſtri commune bonum? Quod ſi de ſingulis quoque hominibus ſermo ſit, nemo hic ad audiendum voluptatis ergo venit; cujusque cauſa agitur, & capitalis quidem. Non hic *Dejotarus* aliquis *conciliandus Cæſari*, ſed homo peccator Deo: non *Milonis*, *aut Ligarii exilium* ab Urbe, ſed illud cujusque a cœleſti patria prævertendum: non de *Corona* ludicra *pro Cteſiphonte*, ſed alia regni immortalis quæſtiones moventur: verbo, agitur de re omnium maxima, de ſalute noſtra, vel morte ſempiterna, quas inter nihil eſt medium: de negotio omnium negotiorum, pro quo ſolo cetera omnia ſuſcipienda ſunt, quod proprium nobis, imo unice noſtrum eſt, quod præterea innumeris, maximisque implexum eſt difficultatibus, atque ita extremam omnino, & ineluctabilem habet neceſſitatem. Hoc cedat proſpere, cetera licet peſſum eant univerſa, felices, & felices æternum: hoc cedat male, cetera licet omnia ad vota fluant, miſeri, & miſeri æternum ſumus. Quæ jam talium argumentorum cum prioribus illis comparatio eſt, quæ quantulacunque proportio? nempe idem hic uſurpandum, quo Jeremias falſorum Prophetarum, ſomnium aliquod narrantium conciones a genuinis illis, atque a Deo inſpiratis ſermonibus diſtinguebat: * *Quid paleæ ad triticum, dicit Dominus?* Neque dicas mihi, etiam hic parva quædam, moderataque argumenta, quemadmodum apud profanos locum habere. Negat, & pernegat Auguſtinus; ** his ſcilicet ſolis varietatem eam

* *Jerem. cap.* 23. *v.* 28.
** *Libr.* 4. *de Doctrina Chriſt. cap.* 18.

eam grandium, temperatorum, atque humilium concedens. *In iſtis noſtris*, ait, *quandoquidem omnia, maxime, quæ de loco ſuperiore populis dicimus, ad hominum ſalutem, nec temporariam ſolum, ſed æternam referre debemus; ubi etiam cavendus eſt æternus interitus; omnia magna ſunt, quæ dicimus.* Quod nimirum, uti toto deinceps capite oſtendit, etiam quæ parva ſunt alias, in Religione tamen ad maxima apud nos, connexione ſua, referuntur.

Tales ergo, & tanti momenti veritates quando Patres populo prædicabant, committere utique minime potuerunt, ſe Demoſthenis magis aut Ciceronis, quam Apoſtolorum diſcipulos fieri: atque ita locuti ſunt, uti ex ipſa ratione loquendi ſublimitatem argumenti quivis agnoſcere, neque ad rem ullam aliam, quam ad illius ſive ſanctitatem, ſive terrorem, ſive ſuavitatem advertere animum poſſet. Perſuaſum enim omnes habebant, ſi credito ſibi eo talento, abuterentur, rationem inſtare, ſupremo omnium Judici dandam, quod venerabiles, atque adorandas leges humanis inventionibus temeraſſent, aut ita certe infregiſſent, uti nullus, aut expectatione longe minor inde fructus proveniret. Id quod cum alii plures, tum maxime Chryſoſtomus, quam fuſe, tam acriter ſuos admonuerunt. Accedit, quod Patres rerum graviſſimarum, & ſublimiſſimarum, quas dicturi erant, conſideratione intima colluſtrati, atque accenſi, potius nihil haberent prædicationis officio, idque occupationibus ceteris omnibus quam longiſſime anteferrent. Jucundiſſimum eſt legere, qua reverentia, quo ſtudio, & amore cœleſtem hanc doctrinam complecterentur. Hoc vitæ ſuæ alimentum, & ſolatium habebant, in ea ponderanda dies, noctesque ducebant, hujus deſiderio reliquas artes, ac ſcientias abjiciebant a ſe omnes, & amandabant. Et Auguſtinus quidem de ſe ingenue confeſſus eſt, cohor-

cohorreſcere ſe, & tremere ad ſolum aſpectum divinarum illarum Literarum, nec eſſe explicando amori, quem ad illas haberet prorſus ſingularem. Joannes Chryſoſtomus ſi vel breviori tempore a verbo Dei prædicando impediretur, triſtis, & illætabilis incuſabat dierum tarditatem, quodque ſacrum, quo conflagrabat, ardorem effundere in alios non liceret, in queſtus, & gemitus aſſiduos prorumpebat. Cypriano autem concionum & deſiderium & æſtimatio ea fuit, uti, quod Pontius Diaconus *vitæ cap.* 17. teſtatur nihil magis ille cuperet, quam in Cathedra, ipſoque curſu orationis obtruncari ab hoſtibus fidei, atque ita dicendo ſupremum ſpiritum exhalare.

44. Mirum quoque non eſt, quod ardorem animi, & impetum longe alium ipſi afferrent, quam qui exterorum eſſe ſolet, fictum ſæpe, & affectatum: ſed parem materiæ, qui ubique proderet ſeſe, infunderet totum in animos, eosque intime commoveret. Vidiſſes eos cupiditatibus & erroribus apertum ubique bellum indicentes, objicientes ſe medios ruentibus ad inferos, clamantes voce contentiſſima, & manibus, pedibusque omnia obnixe facientes, dum abſterrerent miſeros mortales, atque a furore, & inſania aliquos ſaltem revocarent. Fervor Chryſoſtomi dicentis ſæpe tantus fuit, ut non tam verba, quam fulmina ſpargeret, & tonare potius, quam loqui videretur. Poſt terræ motum ex morbo decumbens, ut Stiltinghus *num.* 514. oſtendit, in palatio ſuo dixit ad eos, qui ſolatii cauſa concurrerant, aſſerens, uti illis fames eſſet non audire, ita ſibi non concionari. Sed & alias non raro æger & convaleſcens ad populum dixit. Petrus Chryſologus, dum publice ſermones haberet ad populum, adeo vehemens erat in dicendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit, ſicut contigit in ſermone mulie-

mulieris Hemorrhoiſſæ; unde Ravennates commoti tot lacrimis, clamoribus, & orationibus locum repleverunt, ut poſtea ipſe gratias ageret Deo, quod in lucrum amoris verterit damnum ejusdem ſermonis. * Sed & Bernardus ita dicebat, ut vel in Germania, ubi a pauciſſimis intelligebatur, ſolo tamen aſpectu, geſtu, & contentione vocis traheret ad ſe innumerabiles homines, & quaſi fervor ipſe interpretem egiſſet, converſiones exiſterent non minus luculentæ, & ſalutares, quam ſi vim intimam ſermonum ejus univerſi perſenſiſſent. ** Confer mihi nunc vim dicendi apud Oratores ſæculi cum æſtu, & vehementia, qua Patres dicere conſueverunt. Vide num reperias apud eos dolorem illum actionis, illumque conatum, qui mentis certiſſimus index eſt, qui ut primum erumpit in voces, pertentat animos, affectus eosdem auditori imprimit, totaque dicendi ratione palam oſtendit, & perſuaſum eſſe dicentem ipſum, nec deſiturum, dum aliis quoque perſuaſiſſet. Scilicet nemo commoveri ipſe, vel alios commovere niſi rebus graviſſimis poteſt: & concitationes illæ, actionesque calidiſſimæ pro rebus parvis, atque terrenis artes ſcilicet erant, partæ ſtudio, ac labore, non ſenſus ex re ipſa, ſupremoque & ſuo & auditorum periculo ſuſcitati. Sit ſane, eorum aliquos non in id incubuiſſe ſolum, uti ardenter dicerent, ſed ipſa indignitate rerum ſæpe angi, & turbari

* Nullum rei veſtigium in ipſo ſermone deprehendas. Unde apparet, aliter ſcripſiſſe Chryſologum, aliter pronuntiaſſe. Quod qui dederit, honori cum S. Doctoris, tum Congregationis Rituum melius multo conſulet, quam *capite 7. Eloquentiæ popularis* Muratorius fecit. Sed forte hæc examinat nuperus Editor Chryſologi, quem nos necdum vidimus.

** De fervore S. Cæſarii Arelatenſis, B. Nicetii Trevirenſis, S. Eligii Noviodunenſis, S. Gregorii mira narrat Thomaſſinus *Tomo II. Libro 3. cap.* 83.

turbari graviſſime potuiſſe, præſertim ubi ipſosmet propius cauſa tangebat: ſit Demoſthenem æſtuaſſe totum in dicendo, & torrentis in morem perſonuiſſe: ſit & illud, Periclem tonaſſe, fulminaſſe, & permiſcuiſſe totam Græciam: quid inde efficies? non aliud certe, quam iſtuc: ſi illi levioribus ita accendi moverique potuerunt, noſtros, qui infinities graviora habebant, iiſque acerrime afficiebantur, tanto contentioſius, obnixiusque etiam dicere debuiſſe, & ubi de ſervitute vitiorum, de bello cum dæmonibus, de theſauris meritorum cœleſtium, de Sanguine divino pro nobis effuſo, & conculcato, de morte demum ſempiterna erat dicendum, ex ardóre, qui apud profanos magnus erat, omnino maximum feciſſe, ita quidem, ut appareret omnibus, quantis de rebus ageretur, atque ad odorem intimum pietatis, fulgurantes oculos, & commiſerationem plusquam paternam attonitus auditor, ruentiumque in ſe fulminum pondus nec avertere jam potens, nec ſuſtinere, in conſternatione ea, & comparatione animi, quamvis in partem non tam traheretur, quam raperetur. Sed hæc manifeſtiora ſunt, quam ut fuſius debeant demonſtrari: demonſtrabuntur autem longe magis, quando infra de effectuum diverſitate agendum eſt, quos ſive illi, cum dicunt, ſive iſti in humanis mentibus produxerunt.

45. Sed neque hoc, cum tantum ſit, ſummum tamen diſcrimen eſt. Nam mundanus Orator, quodcunque argumentum ipſe eligat, quamcunque cauſam verſet, ipſummet illa fere non tangit. In foro adeo & capitalibus cauſis, ubi de ſede patria, de fortunis, de libertate, de ipſa ſalute alicujus agit, alieno, non ſuo periculo verſatur. Quod ſi ipſi gloriæ aliquid aut lucri decedat ex ſiniſtro ſucceſſu, cauſæ potius, quam cauſidico id tribuitur, & damnum ipſum omne terrenum eſt, temporale

eſt,

eſt, & ejusmodi certe, quod alia ratione poſſit impoſterum reſarciri. At vero in hoc argumento ita eſt connexus cum Auditore Orator, uti commune habeat periculum, nec minus ipſi, quam ceteris, mors timenda ſit propria, eaque æterna, & irreparabilis, ſi officio ſuo ſegnius forte, quam oporteret, defunctus fuiſſet. Id quod Scriptura cum alias ſæpe, tum vero clariſſime * exemplo ſpeculatoris inculcat, a quo ſcilicet, ſi non prænuntiat imminens diſcrimen, omnium idcirco pereuntium ſanguis jure, ac merito requiretur. Quem in locum S. Gregorius *Homil.* 11. *in Ezechielem* ita præclare ſcribit. *Penſandum eſt, quantum ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque præpoſitorum; quia ubi ſubjectus ex ſua culpa moritur, ibi is, qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Penſate ergo fratres chariſſimi! penſate, quia & quod nos digni paſtores non ſumus, etiam ex veſtra culpa eſt, quibus tales prælati ſumus: & ſi quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex noſtro hoc reatu eſt, quod obſiſtentes, atque reclamantes in pravis deſideriis non habetis. Vobis ergo, & nobis parcitis, ſi a pravo opere ceſſatis: vobis, & nobis parcimus, quando hoc, quod diſplicet, non tacemus.* Idem eodem loco ad illud Pauli transgreſſus, ** quo ſuos conteſtatur, mundum ſe eſſe a ſanguine omnium, quod nihil ſubtraxerit utilium, quodque non ſubterfugerit, quo minus annuntiaret omne conſilium Dei, ita loquitur: *In qua voce nos convenimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus.* Sed magis etiam

* *Ezechiel. cap.* 33.
** *Actorum* 20. *v.* 26.

etiam rem exaggerat S. Doctor, quando ibidem explicat, cur & apud Prophetam, & Apoſtolum periculi gravitas ſanguinis nomine denotetur. *Si hoc in loco*, inquit, *ſanguinis nomine mors corporis deſignatur, valde nobis de noſtro ſilentio augetur metus; quia ſi in ſubjectis ſuis is, qui prælatus ad ſpeculandum eſt, & de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur; quo reatu de morte animæ ſubjecti conſtringitur, quæ potuiſſet ſemper vivere, ſi verba correctionis audiſſet?* Nec refert, quod aliam quoque huic addens ſignificationem, ſanguinis nomine, uti Scriptura ipſa alicubi facit, peccatum intelligat; nam uti mox exponit, nihil inde ſenſus mutatur. Si enim ſanguis peccata ſunt, & ille de concionatore requiritur, peccatum ſubditi tacentis præpoſiti eſt, quod in eo nihilo mitius, quam proprium aliquod, & per ſe admiſſum punietur. Ita Patres cum ad ejusmodi argumenta accederent, inter eas curas, & metus continuos, minime mirum videri debet, quod ubique pericula quædam comminantur, quod perpetui ſunt in hortando, obteſtando, pœnasque imminentes intentando, nec ceſſant quacunque occaſione divinam iram prænuntiare. Id qui vitio vertere velit, vel improbus ſit neceſſe eſt, vel judicio plane deſtitutus: eſtque bene in eam rem Divi Chryſoſtomi vehementior exclamatio notanda. Cum enim *Serm. Non eſſe ad gratiam concionandum*, Concionatoris periculum fuſe declaraſſet, ita concludit: *Quis igitur eſt ille tam crudelis, & inhumanus, & immiſericors, qui concionatori vitio vertat dicenti, deque ira divina frequenter verba facienti, cum tantas luiturus ſit pœnas, ſi tacuerit?* Sed jam ad finem quoque, quem Patres diverſiſſimum a ceteris Oratoribus habuerunt, & ubi haud paulo plura a nobis conſideranda ſunt.

§. IV.

§. IV.

Diſcrimen ex Fine, quem Patres reſpiciebant.

46. Orator profanus vel plauſum captat, vel lucrum. Licet enim pro Republica dicat, aut pro vita, vel fortunis privatorum depugnet, ſe nihilominus reſpiciet ſemper, illudque propoſitum habebit, uti famam ſibi inde vel pecuniam conficiat. Atque ita nunquam ſupra caduca hæc & inania aſſurgit. *Eloquentia*, ait Lactantius, * qui & ipſe diu eo in foro meruerat, *ſæculo ſervit; populo ſe jactare, & in rebus malis placere geſtit. Siquidem veritatem ſæpe expugnare conatur, ut vim ſuam monſtret: opes expetit, honores concupiſcit, ſummum denique gradum dignitatis expoſcit. Ergo hæc* (quæ Religione noſtra continentur) *deſpicit, arcana tanquam contraria ſibi fugit; quippe quæ publico gaudeat, & multitudinem, celebritatemque deſideret.* Itaque apud Græcos perfecti Oratores ſummis ſæpe Ducibus prælati ſunt, non exiguo Reipublicæ detrimento. Apud Romanos vero nulla re magis celebritatem quis conſequi, quam eloquentia poterat. Præfecturæ, & dignitates diſertis hominibus univerſæ patebant, neque idoneos magis Judices, & Magiſtratus putaverunt, quam qui in cauſis dicendis diu, multumque verſati ipſi fuiſſent. Opes porro dicendo colligere tantum abeſt, ut crimini apud eos daretur, ut inter *modos*, quos dicunt, *aquirendi* honeſtiſſimus exiſtimatus ſit, certe non minus laudabile inſtitutum, quam eorum ſit, qui quod lingua prompti non eſſent, manu, & armis victum ſibi conquirebant. *Si res familiaris*, ait Quintilianus, *amplius aliquid ad uſus neceſſarios exiget, ſecundum omnes ſapientium leges patietur ſibi gratiam referri; cum & Socrati collatum ſit ad victum, &*

* *L. V. Inſtitut. divinar. cap. 1.*

& Zeno, Cleanthes, Chryſippus mercedem a diſcipulis acceptaverint. Neque enim video, quæ juſtior aquirendi ratio, quam ex honeſtiſſimo labore, & ab iis, de quibus optime meruerint, quique, ſi nihil invicem præſtent, indigni fuerint defenſione. Quod quidem non juſtum modo, ſed neceſſarium etiam eſt, cum hæc ipſa opera tempusque omne alienis negotiis datum facultatem aliter aquirendi recidant. Libro 12. *cap.* 7.

Alii longe fines Patribus. Qui enim ut plurimum dignitates, opesque, quas habebant, aut jure expectabant ampliſſimas, ultro abjeciſſent, non ad rerum exiguarum procurationem, non ad caducos honores, ſed unice in demandatum ſibi munus, in ſalutem fratrum, & exiſtentem inde divinam gloriam intenti eſſe potuerunt. Quam vellem mihi hoc loco parem negotio facundiam dari, ut appareret ſcilicet, quam præcelſum, & eminentem hunc finem reputaverint Patres, quantisque laudibus extulerint! Majus eſſe unicum hominem ad meliora traducere, quam ſuſcitare mortuos, & mirabilia alia patrare, multi eorum affirmarunt. Juxta Chryſoſtomum nullius rei pretium eſt cum anima noſtra conferendum, ne totus quidem mundus, eamque convertere pluris facit, quam pecunias ſuas, & opes immenſas in egenos profundere. Dionyſius Areopagita divinorum omnium diviniſſimum eſſe dicit cooperari Deo in ſalutem animarum. Nemo carior Deo, ait Gregorius, quam qui & alios trahit ad illum amandum, nullumque ei gratius ſacrificium, quam animarum. Recurrat benevolus Lector ad Chryſoſtomum, paulo ante laudatum, qui in *cap.* 5. *ad Galatas* quanti vel unius animæ ſalus vero concionatori ſit, & debeat eſſe, graviſſimis verbis oſtendit. Neque pœnitebit addidiſſe, *quæ circa finem Hom.* 3. *in* 1. *ad Corinth.* vehementer inculcat.

Vides

Vides jam,quam magnum ex fine diſcrimen ſit inter Eccleſiaſticam facundiam, & ſæcularem. Quando enim huic & opes, & famam quærere propoſitum eſt, nec vitio datur, modo ne intemperantius id fiat, & utriusque cupiditas vel tantiſper refrænetur: quando ipſi ſummi Oratores, præterquam quod bene nummatos, ſatisque copioſos ſcimus, Tertulliano, ac Hieronymo *gloriæ animalia, & popularis auræ vilia mancipia* erant, qui etiam ubi calcare faſtum videbantur, id ipſum faſtu majore facerent: ſacris Doctoribus nulla talis cura, amor, cupiditas nulla fuit, ne ſcilicet a cura illa unica, quam diximus, vel parumper poſſent avocari.

47. Aſt conſideremus ſpeciatim, quam ab omni ſive laudis, ſive lucri captatione eſſent remoti. Et de lucro quidem illud poſſit plusquam ſatis eſſe, quod Apoſtolorum more commodorum ſuorum plane obliti, aliud, præterquam cœleſte, prorſus neſcirent, *memores verbi Domini Jeſu: beatius eſt magis dare, quam accipere*, & alterius: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Itaque non res ipſorum quærebant, ſed ipſos, idque palam edicebant auditoribus, malle ſe perdere ſua, quam inhiare alienis, nihilque pretioſius putare, quam ſalutem fratris, quem Deus ipſe ſanguinis ſui immenſo pretio mercatus eſſet. Quid quod Auguſtinus *Libr. de Paſtorib. cap.* 2. diſerte monet, functionem dicendi ad populum, quia ſacra, & ſpiritualis eſt, ne cadere quidem ſub quæſtum, & æſtimationem poſſe. Et alio loco de *Baptiſmo* ſcilicet *Parvulorum*, indignum profecto eſſe, ut verbi divini prædicatio, res adeo pretioſa, tam vili pretio venum exponatur. Non itaque erant *ventriloqui*, ut Oratione 1. Nazianzenus argutatur; quod præcelſi finis conſideratione, parva hæc, & cupiditate ſua multo inferiora ſcirent, & majores, præſtantioresque theſauros alibi repoſitos haberent. Sed nec au-

ctoritatem ſibi tam neceſſariam volebant amittere, frænumque, aut capiſtrum ori injicere, quo uſus linguæ, liberrimi alias membri, cum minime vellent, adimeretur. Et quomodo ipſi ceteros ad calcandas opes, & eleemoſynas dandas incitarent, qui in ſuis accumulandis toti, aut nimii eſſent? Notandus in rem eam eſt locus Chryſoſtomi ſane luculentus *Tom.* 10. *pag.* 40. Montfauconi. *Si hoc dicerem*, ait, *da mihi, & depone in meis ædibus, pudendum forte eſſet, quod dicerem, imo vero ne tunc quidem. Nam qui altari, inquit, aſſident, altaris ſunt participes. Ceterum fortaſſe quiſpiam me reprehenderet, ut qui pro me verba facerem. Nunc autem ſupplico pro egentibus: imo vero non pro egentibus, ſed pro vobis, qui præbetis: & ideo loquor libere . . . . non ergo erubeſcam, ſed libere dicam: date egentibus, & majori voce, quam qui egent. Nam ſi quiſpiam poſſet oſtendere, & probare, quod hæc dicentes ad nos ipſos traheremus, & prætextu pauperum ipſi lucraremur, non ſolum probro, ac dedecore digni eſſemus, ſed qui vel a mille fulminibus feriremur, & qui hoc agerent, ne mererentur quidem vivere. Si autem Dei gratia pro nobis minime moleſti ſumus, ſed ſine ſumptu vobis poſuimus Evangelium, non laborantes quidem ſicut Paulus, ſed contenti propriis, dicam cum omni fiducia: date egentibus! nec ceſſabo hoc dicere, & eorum, qui non dant, ero gravis accuſator* Hæc de avaritia, & lucri ſtudio.

48. De Gloriæ cupiditate quid porro commemorem? ab iſta quantum Patres abhorruerint ſemper, quantum caverint ſibi, quibus viribus, & qua contentione eam impugnarint, vix ſim dicendo. S. Baſilius *Epiſtol.* 210. *alias* 64. ingenue fatetur, non tam gloriam ſeſe, & famam captare, quam ut hominum memoriæ penitus ſubducatur. S. Gregorius in *Paſtorali ſuo* ſolicite omnes divini verbi præcones hortatur, uti illam velut latronem extimeſcant,

meſcant, qui recto etiam itinere gradientibus jungeret ſe amica ſpecie, atque a propoſita ſibi utilitate ita ſenſim abduceret, ut quod cum merito inchoatum erat, in culpam deſinat, & vitia, a quibus alios eruiſſent, denique ipſi incurrant. *S. Bernardus Serm.* 41. *in Cantica* Væ talibus horrendum inclamat. S. Chryſoſtomus *Libr.* 5. *de Sacerdotio cap.* 2. rotunde negat, quemquam poſſe finem prædicationis aſſequi, qui popularem auram non aſpernetur. Secus enim, qui per aliorum emendationem divinam gloriam promotum veniſti, eandem ſacrilego furto invadis primus, & velut aliud agens per ludum ad tuum honorem totam detorques. Cui rei quantum iraſcatur Deus, vel inde manifeſtum ſit, quod neget ſe, qui dat omnia, gloriam ſuam alteri cuiquam daturum. Itaque ad ſummam auditorum quoque calamitatem reſiſtit ſuperbo homini, gratiamque, & unctionem ſubtrahit, quam nonniſi humilibus recepit ſe largiturum. Quid ergo, inquis, non more omnium oratorum, placere ſuis ſtudebant Patres, eorumque delectationem, atque approbationem aliquam captabant? Utique; id enim ex Chryſoſtomo *Libr. paulo ante adducto*, itemque 4. *de eod. Sacerdotio*, ac *Hom.* 3. *in Geneſin initio*, præterea Auguſtino *Libr. de Catechizand. Rudib. cap.* 2. & 10. non obſcure deduci poteſt. Sed alia longe ratione id permittunt, ea nimirum, uti illum ipſum finem veluti humilem, & ſe indignum ad ulteriorem alium, ſublimioremque referrent, qui eſt, captos ita, & demulſos inſtruere facilius, & inſtructos fortius etiam permovere. Ita clariſſime Divus Auguſtinus *Libr.* 4. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 25. Ubi cum præmiſiſſet, genus dicendi temperatum pertinere ad delectationem, ejusque finem eſſe, ut intelligat auditor, nos pulcre, ornateque dicere, addit: *Quo fine nobis quid opus eſt? appetant eum, qui*

qui lingua gloriantur, & ſe in panegyricis, talibusque dictionibus jactant, ubi nec docendus, nec ad aliquid agendum movendus, ſed tantummodo eſt delectandus Auditor. Nos vero iſtum finem referamus ad alterum finem, ut ſcilicet, quod efficere volumus, cum granditer dicimus, hoc etiam iſto velimus, id eſt, ut bona morum diligantur, vel devitentur mala: ſi ab hac actione non ſic alieni ſunt homines, ut ad eam grandi genere dictionis urgendi videantur, aut ſi jam id agunt, ut agant ſtudioſius, atque in eo firmiter perſeverent. Ita fit, ut etiam temperati generis ornatu non jactanter, ſed prudenter utamur: non ejus fine contenti, quo tantummodo delectetur Auditor, ſed hoc potius agentes, ut etiam ipſo ad bonum; quod perſuadere volumus, adjuvetur. Quod ipſum poſtea brevius Sanctus quoque Gregorius docuit * monens prædicatorem Evangelicum, ut *ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetat, ut dum placet, quod dicitur, per eadem dicta non ipſe, ſed Dominus ametur.*

49. Quid vero tum faciendum eſt, quando plauſus, & laudes, & admirationes ultro offeruntur ab hominibus, & tantum non perſequuntur Oratorem? An ne tum quidem admittendæ ſunt, ſed fugiendæ penitus, & quaſi ab hoſtibus contingerent nobis, averſandæ? Ita quidem Patres plerumque fecerunt admirabili temperantia, & cautione ſingulari, nec quidquam ſæpius in eorum præceptionibus memini me reperire. *Laudes iſtæ veſtræ*, clamat Auguſtinus, *gravant nos potius, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas. Tamen fratres mei! iſtæ laudes veſtræ folia ſunt arborum: fructus quæritur.* ** Et alibi *** *Tu*

* *Homil.* 17. *in Evangel.*
** *Serm.* 61. alias 5. *de verb. Dom.*
*** *Serm.* 178. alias 19. *de verb. Apoſtoli.*

Tu laudas tractantem, inquit, *ego quæro facientem.* Fuſiorem, eumque elegantem locum dat idem *Hom.* 25. *ex* 50. *nunc Serm.* 339. Verum nemo hac in re par Chryſoſtomo, quo Doctore uti nemini mortalium plus præconiorum, & acclamationum in dicendo obtigit, ita nemo longius eas a ſe amolitus eſt: quin videri ſubin poſſit, ea in re paulo longius progreſſus, quam Auditorum conditio, & ſimplicitas ferebat. Unum ſaltem alterumve ejus locum adduco. *Tomo* 7. *Montſauconi pag.* 232. ita loquitur. *Hæc dicta laudaſtis. Sed plauſibus, tumultu, & ſonitu non opus eſt mihi. Unum volo tantum, ut cum quiete, & ſagaci attentione, quæ dicuntur, audientes, dicta exequamini. Hoc mihi plauſus, & laudis loco eſt. Si vero ea, quæ dicuntur, audias, & non facias ea, quæ laudas, majus erit ſupplicium, gravior accuſatio, nobisque pudor, & irriſio. Non enim theatrorum ſunt hæc, non tragœdos nunc ſpectatis, ut ſolum plaudatis. Magiſterium eſt hic ſpirituale. Quapropter unum ſtudium eſt, ut, quæ dicuntur, opere compleatis, & obedientiam geſtis commonſtretis. Tunc enim omnia aſſecuti erimus. At nunc pene deſperare cogor. Nam & privatim eos, qui me convenerunt, hæc monere non ceſſavi, & vobis in commune locutus, nihil tamen hinc fructus hactenus perceptum video. &c. Ideo & nos lugemus, & plangimus.* Vide etiam *Homiliam* 2. & 28. *in Joannem.*

Sed nihil pulchrius, graviusque iis, quæ copia ſingulari *Homil.* 30. *in Acta*, præſertim *ad finem* profudit: „ Credite mihi, ait, non abs re dicenti, cum „ prædicans laudibus excipior, illo quidem tempore „ humanum quid patior (Cur enim vera non di„ xerim?) lætor, & effundor; ubi vero domum „ reverſus cogito, plaudentes nullum excepiſſe „ fructum; ſed ſi quid utilitatis accipiendum erat, „ illud ex plauſu & laudibus periiſſe, diſcrucior, &

„ ingemiſco, lacrimor, ac ſi omnia fruſtra dixerim „ ita affectus: mihique ipſi dico: Quæ mihi ex „ ſudoribus utilitas, cum auditores nihil ex verbis „ meis utilitatis percipere voluerint! Sæpeque co- „ gitavi legem proferre plauſus prohibentem, & „ perſuadere vobis, ut cum ſilentio audiatis, & „ cum decenti modeſtia. Sed ſuſtinete quæſo, & „ credite mihi, ac ſi placet, hanc firmemus legem: „ ne cui Auditorum liceat loquentem plauſibus „ interpellare; ſed ſi admirari voluerit, ſilens ad- „ miretur; nemo prohibebit. Omnis cura, omne „ ſtudium ſit, ut dicta excipianter. „

Hæc cum paulo blandius dixiſſet, rapti qui- dam hac ipſa ejus facundia, modeſtia, & ſtudio bene de ſuis merendi, non utique malo, ſed opti- mo animo, in novos plauſus, ipſo nihil minus ex- pectante, proruperunt. Quo audito, converſa ſubito oratione, ex tempore in acrem ipſe increpationem deſiit, ad finem tamen denuo charitate, & demiſ- ſione temperatam, hunc in modum:

„ Quare applauſiſtis! hac de re legem pono; „ vos vero ne audire quidem ſuſtinetis! Id mul- „ torum cauſa bonorum erit, philoſophiæque di- „ ſciplina. Externi Philoſophi diſſerebant nemine „ unquam plaudente, & Apoſtoli concionabantur, „ neque uſpiam legitur, ipſos loquentes ab audi- „ toribus fuiſſe plauſu interpellatos. . . . . Nihil „ damni facio iis, qui plaudere vellent; imo id „ efficio, ut magis admirentur. Multo melius „ eſt cum ſilentio audientem in mente, & memo- „ ria omni tempore plaudere domi, in foro; quam „ amiſſis omnibus domum redire vacuum, nullam „ habentem plauſuum cauſam. Quomodo enim „ non ridiculus erit Auditor? quomodo non adu- „ lator, & irriſor putabitur, qui recte locutum „ eſſe doctorem declarat, nec quid dixerit, pro- „ ferre poteſt? hoc adulationis eſt. Nam ei, qui

„ citha-

„ citharedos, & tragœdos audit, id jure accidit, „ utpote qui neſciat ſimilia proferre: ubi autem „ nec cantus, nec modulatio adeſt, ſed ſententiæ „ ſolum, & philoſophiæ virtus, quæ cuivis dice- „ re, & enuntiare facile eſt, quomodo non dignus „ objurgatione eſt, qui ne cauſam quidem dicere „ poteſt, cur concionantem laudaverit? Nihil ita „ decet Eccleſiam ut ſilentium, & modeſtia. Tu- „ multus ad theatra pertinet, ad balnea, ad pom- „ pas, ad forum: ubi vero talium dogmatum „ doctrina eſt, ibi tranquillitas, quies, philoſo- „ phia, & portus magnus eſſe debet. Hæc oro „ & obſecro, omnes ſciatis. Omnes circum modos „ exploro, queis potero veſtris prodeſſe animabus. „ Non exiguus ille mihi modus videtur; qui non „ vobis tantum, ſed etiam mihi proderit. Non „ ſinet nos proſterni, neque laudes & gloriam ama- „ re, neque oblectantia loqui, ſed utilia: neque in „ compoſitione, & elegantia dictorum, ſed in vi „ ſenſuum omni temporis momento verſari. „

Aggreſſus dein a comparatione, uti frequentiſſime ſolet, in officinam pictoriam deducit Auditores, oſtenditque quanta ibi quies, etſi privatus ſit locus, neque tam excellentes ibi imagines fingantur, quemadmodum coloribus virtutum in templo formari conſueverunt. Quo dicto iterum interpellatus eſt; unde in medio curſu excandeſcens: Quid hoc, vociferatur, iterum plauditis? ac confuſiora quædam alia, certe abrupta, uti ſors ferebat, prolocutus, quod actum tum quidem ageret, deſcendit e cathedra, & dimiſit concionem.

Plura alia, quæ Eccleſiaſticum Oratorem a ſtudio gloriæ debeant vehementer abſterrere, paſſim extant apud Patres, uti S. Baſilium *Conſtitut. Monaſtic. cap.* 11. *ad initium.* S. Chryſoſtomum L. 5. de Sacerdotio, ubi fuſus eſt in hoc argumento. S. Auguſtinum *Libr.* 3. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 19. & *Libr.*

Libr. de bon. diſciplinæ, qui tamen non ipſius, ſed S. Valeriani Cimelienſis eſt. *Cap.* 2. & 3. S. Chryſologum *Serm.* 9. Joannem Caſſianum *Libr.* 12. *cap.* 3. præſertim, & 7. S. Gregorium Magnum *Libr.* 4. *Paſtoral. Curæ cap. unic.* & iterum *Libr.* 6. *cap.* 25. *Moral. Libr.* item 22. *a cap.* 7. & *Hom.* 21. *in Ezechielem jam laudata.* S. Bernardum *Epiſt.* 42. *ad Henricum Senonenſem.* * Fontes autem multo uberiores infra indicabimus, ubi in Locis Communibus ex inſtituto de Superbia, & vana gloria erit differendum. Coronidis loco ſit Magni Gregorii ſapientiſſima ſententia, & miſeris nobis, qui neque occultas intentiones unquam rimamur, neque faſtum ita contemnimus, uti Patres fecerunt, ſerio ſane expendenda: *Fortaſſe contra vanam gloriam ſermo doctori eſt, & mire inſinuans, qualiter debeat declinari, eisdem ipſis ſermonibus vanam gloriam quærit, quibus contra eandem vanam gloriam diſputat.* ** Quod idem etiam Richardus *Victorinus in Benjamino minore cap.* 46. admonuit.

50. Verum enimvero etſi de lucri, & gloriæ ſtudio copioſe, nec ſine delectu dictum eſt, nondum tamen excuſſimus omnia, quæ ad finem ſacri Oratoris, a profanorum propoſito tam diverſum, videntur pertinere. Sed ne in infinitum excreſcat oratio, unum præterea, alterumve audiamus, quod inter cetera præcipuum eſt, & vero etiam mores habet, præſertim illa ætate, ubi Eccleſiaſtici Philoſophos agere in cathedra, & de communiſſimis rebus tam ſubtiliter ſolent diſceptare, ut ſimpliciores,

* Legenda ſunt etiam, quæ Euſebius *L.* 7. *Hiſtor. Eccl. cap.* 24. de Paulo Samoſateno, & Theodoretus *L.* 4. *Hæretic. fabul.* de Neſtorio, ex captata fama concionum in hæreſin prolapſis commemorant. Sed & Cyprianus *Epiſt.* 52. innuit, Novatianum ante alia eloquentiæ jactatione peccaviſſe.

** *Homil.* 21. *in Ezechielem.*

ciores, quorum maximus eſt in concione numerus, abſterreantur a ſacra doctrina, nec tempus perdere velint iis rebus operoſe audiendis, quæ vel non ſpectant ad praxin, vel propter ratiocinandi laborem captum etiam excedunt. Ut autem nihil de eo dicam, quod Chriſti, & Apoſtolorum Conciones, quæ miram habent facilitatem, Patrum plurimi, nominatim S. Ephræm, S. Cæſarius Arelatenſis, S. Gregorius Magnus velut exemplar ſibi propoſuerunt, iſtuc primo Patribus cordi fuiſſe intelligo, ne ſublimiora fidei myſteria, quemadmodum in diſceptationibus ſolet, plebeculæ obtruderentur. S. Gregorius Nazianzenus, etſi arcanis divinis perſcrutandis ita eſſet deditus, ut *Theologi* nomen, omnium ſæculorum conſenſu, inde referret, ſæpius tamen admonuit, ut ea in re rudium rationem majorem habeamus. Et *Oratione* quidem 26. *n.* 24. ait: *Res divinas mente concipere arduum, & verbis explicare difficile, & purgatas aures nanciſci majoris laboris, & difficultatis. Orat. vero* 33. *n.* 15. utiliter non minus quærit, quam ſapienter reſpondet: *Jam de quibus, & quousque diſputandum? De his ſolum, quæ ingenii noſtri modulum atque Auditoris non excedunt; ne alioqui, ut nimia vocis intentio, atque immodicus cibus aures, & corpora labefactat, itemque ſarcinæ viribus graviores bajulorum humeros, ac crebriores pluviæ terram opprimunt, ita etiam Auditores quæſtionibus gravioribus, ac durioribus oppreſſi, atque confecti, priſtinas quoque vires amittant.* Alterius Gregorii notiſſima ſimilitudo eſt a vaſculis anguſti oris cetera ſat capacibus repetita *, quibus pauca eaque non ſimul, ſed ſtillatim infundimus, ne effundamus. Vide ipſummet *L.* 20. *Moralium cap.* 1. & 2. item, ubi ſimilia habet, *Libr.* 17. *cap.* 12.

Neque

* Eandem jam antea ipſe Quintilianus pueris accommodarat.

Neque hoc ſolum in delectu materiæ obſervandum, uti nos populo attemperemus ſemper, ſublimia, & remota a captu Auditorum vel vitemus omnino, vel non ultra, quam ſalus illorum poſtulet, attingamus: ſed illud quoque curandum ſolicite, ne compoſitio ipſa verborum, & ratio dicendi exquiſita, & artificioſa ſit, maxime in rebus, quæ explicationem poſcunt pleniorem, & alias intelligi difficulter conſueverunt. Atque in hac præceptione conſumitur totum caput decimum Libri Auguſtiniani *de doctrina chriſtian.* Recte etiam S. Fauſtus Regienſis *Epiſt.* 16. *id ſe primitus obſervare* ſcripſit, *ne res per ſe obſcuras ſtudio compoſiti ſermonis involvat.* Profecto enim, niſi huc incumbatur diligenter, ut lucidus ſit ſermo, atque perſpicuus, res etiam de ſe claræ alias, & minus involutæ obſcuræ fient, ac exitus ſæpe perdifficiles habebunt. Sed S. Iſidorum Peluſiotam audiamus, ſi quem alium in docendo apertum ſimul, atque accuratum. Hic *Libr.* 3. *Epiſt.* 42. *ad Theodorum Scholaſticum* ita præclare pronuntiavit. *Eloquentem ego hunc eſſe ſtatuerim, qui id, quod animo concepit, perſpicua oratione demonſtrare poteſt, non qui doctiſſimis, & ſublimibus verbis ea etiam, quæ clara, & dilucida ſunt, obſcuret. Ille ſiquidem quod latet, in lucem profert, hic illud etiam, quod omnibus perſpicuum eſt, in tenebris occultat: eoque nomine ille, ut qui auditoribus prodeſſe cupiat, ampliſſimis laudibus celebratur, hic contra, ut qui gloriæ ſuæ cupiditate flagret, honoris, ac præmii expers relinquitur.*

Verum quoniam non verba duntaxat Patrum huc afferre convenit, ſed exempla etiam, quæ retinentur facilius, & legendi præterea tædium levant, duo ad rem noſtram valde appoſita, unum de Divo Bernardo, de S. Baſilio Magno alterum memorabo. Et quidem Bernardi initia concionum

minus

minus laudata reperio; quod ſcilicet, uti vitæ Scriptor Guilielmus *Libr.* 1. *cap.* 61. advertit, ſublimiores illæ erant, quam ut ab hominibus illiteratis, & rudibus intelligerentur. Res afferebat admirabiles quidem, verum abſtruſiores, & quæ ob ſubtilitatem neceſſe erat, eorum, qui contemplationi non aſſueverant, aciem ſubterfugere. Itaque factum eſt, ut ſurdis caneret, & male impenſi laboris ipſummet tæderet. Verum diu non tenuit ſiccitas ea, atque ſterilitas ſermonum. Divino enim Spiritu, cujus opem gemens, & lacrimans Bernardus imploraverat, inſtruente, mutatus ſubito is nimirum in pulpito chriſtiano comparuit, ut neque ſermonis perſpicuitas deeſſet, & ab argumenti utilitate, potentia item, & vehementia affectuum mirifice commendaretur. Concurſus ex omni parte fiebant ingentes, & hactenus non viſi; quod, quo rem modo Orator conceperat, & comprehenderat animo, ita verſabat coram populo, atque extricabat, ut illi ſenſa, & motus ſuos tantum non imprimere videretur. Exin permiſcebat omnia Bernardus, uti volebat, atque in ſummos, medios, infimos dominabatur ſuada ſua: qua ſenſim Europam fere omnem complexus, eloquentiæ fructus uberrimos ubique reportavit, uti inter ſummos Principes conſtituta Pax, compreſſi Tyranni, diſcordes inter ſe civitates fœderibus ſociatæ, obitæ pro Chriſti Vicario legationes, revocati ad ejus obedientiam populi, & in ipſis cunis præſocatæ hæreſes atteſtantur.

De Baſilio Magno legere me memini, eum *in Opere ſex dierum*, in quo ſane difficilia multa, neque obvia explicanda erant, mirum quantum omni conditioni, & generi hominum ſatisfeciſſe. Quod nempe ita ſe eo in argumento gereret vir Sanctus, uti delectum haberet in omnibus, nec ſublimia paſſim omittens propter eruditos, neque etiam humilia

milia faſtidiens in gratiam ſimpliciorum. Accedit quod verba quoque ſtudioſe conquireret, ea videlicet, quæ quod clara ſimul, & jucunda erant, ab omnibus æque intelligerentur, laudemque referrent. Ita Gregorius Nyſſenus frater ejus teſtatur, qui aliorum rogatu illud ipſum opus, quod imperfectum Baſilius reliquerat, eleganter ſupplevit. Sic autem *initio ſupplementi ejus* Nyſſenus loquitur: *In ampliſſima Eccleſia populum frequentiſſimum alloquens, pro audientium intelligentia ſermonem moderabatur. In tanta enim multitudine licet eſſent nonnulli, qui altiores etiam diſputationes intelligerent, plurimi tamen doctrinæ ſubtilitatem non capiebant, utpote homines imperiti, atque opifices, & negotiis vilibus occupati, & mulieres in hujusmodi diſciplinis minime exercitatæ, & puerorum turba, ætateque profecti ſenes, qui omnes oratione facili inſtituendi, recreandique erant, & per res procreatas, quæ cernuntur, earumque pulcritudinem ad rerum omnium auctorem, procreatoremque perducendi. Quare ſi quis ex præceptoris conſilio dicta ipſius expenderit, nihil dubitationis relinquetur. Neque enim verborum contentiones aucupabatur, nec facile ſeſe quæſtionibus implicabat, ſed ſimplici verborum expoſitione audientium ſimplicitati ſic orationem ſuam accommodabat, ut variam tamen externæ philoſophiæ doctrinam redolens, peritioribus etiam ſatisfaceret. Quamobrem eum & imperiti intelligebant, & eruditi admirabantur* Addi poteſt, quod Photius *Cod.* 174. de Chryſoſtomo recte admonuit: eſſe, quæ accuratius ſubtiliusque exponi ab eo poterant, niſi majorem ille ſuorum, quam ſui rationem haberet, malletque minus doctus, ac diligens videri, quam minus prodeſſe. *Quamobrem*, inquit, *neque admirari ſanctiſſimum virum ſatis unquam poſſum, quod perpetuo in omnibus ſuis ſcriptis, auditorum ita utilitatem tanquam ſcopum præfixiſſe ſibi videatur, ut cetera*

vel

vel omnino neglexerit, vel leviſſime attigerit. Sed & illud penitus præ auditorum utilitate contempſit, quod alicui vel ſenſus aliquos ignoraſſe, vel ad profundiora quædam penetrare refugiſſe, vel id genus alia præteriiſſe videri poſſit. Hæc de materiæ delectu & tractatione ad finem Chriſtiano oratori propoſitum ſufficere poſſunt, qui hac iterum re nimium quantum a profanis diſtat, ut qui modo aliqua dent plebeis auribus, eruditis pluſculum indulgent, ſed & quidquid uſpiam didicerunt literarum, obtrudunt, imo, quæ facile per ſe intelliguntur, jam torquent, jam diducunt, ut facile appareat, artis, & præceptorum potiorem, quam captus rationem eos habere: quaſi ſufficeret id populo, ſi poſſit quædam ſaltem admirari, quæ intelligere non poteſt, aſſenſumque ſequi reliquorum, qui priores applauſiſſent. Et certe mirum mihi ſemper viſum eſt, quomodo politiſſimas illas, delicatiſſimasque Ciceronis orationes, in quibus omnia ſubtiliter, ornate, & cum ingenio dicta ſunt, probare plebs adeo, tantisque acclamationibus proſequi ſemper potuiſſet, niſi vel aliter ille diceret, quam modo ſcriptæ ſunt, * aut certe nobiliorum, & ſagaciorum judiciis rapi ſe hæc magis, quam rebus ipſis duci ſineret, ut quæ pedibus plerumque ire ſolet in aliorum ſententiam. Idem de reliquorum etiam dictionibus, pluribus ſaltem, judicium eſto. Nempe huc pertinet, quod divus Hieronymus veriſſime pronuntiavit: ** *Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quidquid non intelligit, plus miratur.* Innuit

* Ipſe certe Plinius non uno loco aperte profitetur emendare ſe, & limare omnia, quæ dixiſſet antea, quam in lucem emitteret.

** *Epiſt.* 2. *nunc* 52. *ad Nepotian.*

Innuit autem ibi Sanctus Doctor acclamationes eas, de quibus a S. Gregorio Nazianzeno coram audierat, cogi illis plurimos ſcire, quod neſciunt, ne ſi ſoli ſcilicet ipſi tacerent, clamantibus aliis, ignorantiæ, aut ſtultitiæ etiam ab omnibus condemnarentur. Qui plura in rem præſentem e Patribus deſiderat, legat cumprimis Clementem Alexandrinum *Libr.* 5. *Stromat. ante medium.* S. Auguſtinum *Libr. de dono perſeverantiæ cap.* 20. 21. *&* 22. S. Cyrillum Alexandrinum *Libr.* 7. *de Adorat. in ſpiritu pag. mihi* 183. S. Proſperum *Libr. ad excerpta Genuenſium dubio* 9. *& ultimo.* Richardum Victorinum *de Emmanuele Libr.* 1. *cap.* 7. ex quibus diſcet, qua cautione de quibusdam ſalebroſis ſane argumentis, quale illud de prædeſtinatione eſt, oporteret concionari. Ferrandus quoque Diaconus *Epiſt.* 1. *ad Anatolium* præclare inſtruit Oratorem, quid faciendum illi in myſteriis populo explicandis, ne in prudentiæ leges aliquando impingat. Huc denique faciunt, quæ Facundus Hermianenſis *Libr.* 12. *cap.* 1. *&* 3. in eos intorquet, qui temere de dogmatibus, & myſteriis concionantes turbant potius, quam docent rudiorem auditorem. S. Gregorius Magnus cum in *Paſtorali* 3. *parte cap.* 2. 3. 5. tum in *Libris Moralium* 17. *cap.* 11. *&* 12. *Item* 20. *cap.* 1. multus eſt in eo, ut oſtendat, delectum materiæ eum faciendum ſacro præconi, qui fini ejusdem quam maxime reſpondeat. Quem Gregorius alter, Nazianzenus, præivit cum in Oratione prima, tum maxime in Sexta viceſima, quæ tota ferme in hoc argumento conſumitur.

Quod ſi tædium obrepat doctis hominibus, cum in dicendo ad populum ruditati illius dare plurimum, ſeque totos ubique demittere coguntur, præ aliis ea legere debent, quæ S. Auguſtinus ſuaviſ-

ſime,

ſime, & plane ad motum *Libr. de Catechiz. Rudib. decimo, & duodecimo capite* admonuit.

51. Sed ad finis memorati diſcrimen illud quoque video pertinere, quod apud Patres epiſodia multa, & longiores etiam digreſſiones reperiuntur. Nempe quia illi finem ſibi præfixum ubique obtinebant, & in materia utili, quæcunque aſſumatur, aberrari a ſcopo nunquam poteſt, contra, quam ſæculares facere conſueverunt, non ſe argumento, ſed argumentum ſibi accomodabant. Unde Gregorius *Præfat. in Jobum cap. 2. ad finem* recte monet, uti omnem ordinem rectum putemus, modo utilis ille, & opportunus ſit: eſtque ejus ibidem aptiſſima ſimilitudo a fluvio petita, cui, etſi propoſitum eſt intra alveum ſe ſuum continere, neque alio dilabi; nihilo ſecius, ſi valles ex itinere, & ſinus quidam occurrunt, in eas protinus cum impetu defluit, atque divertit, & tum primum ubi expletæ eæ fuerint, in viam ſibi deſcriptam repente totum ſe refundit. Æque pulcram S. Petrus Damiani *opuſculo* 20. *cap.* 6. ab eo petit, qui piſcatum forte egreſſus, ſi caſus feram ſubito vel volucrem obtulerit, non ideo elabi eandem patitur, quantumvis piſcationem ſibi, non aucupium, vel venationem propoſuerat: additque eleganter, ſic quod cæptum eſt, intermitti quidem, non vero omitti. Bernardus vero *Serm.* 16. *in Cantic. poſt initium. Et nunc quandoquidem incidimus, non pigeat nos paululum immorari, conſequenter ad id, quod intermittimus, poſtea reverſuros. Siquidem animarum cibus nihilominus eſt iſte. Canibus quoque ac venatoribus plerumque contingit a beſtia, quam aggreſſi erant, deſiſtere, & ſequi aliam, quæ inopinantibus forte occurrerit.* Eadem mens jam diu ante Chryſoſtomo fuit: *Forte argumento excidiſſe videmur?* ait *Homil.* 14. *ad populum. Sed hoc non eſt excidere.* Quia, ut proſequitur, ubi omnia vitia tollenda ſunt, quodcunque ſe nunc of-

 fert,

fert, etſi paucioribus infeſtum, tollendum eſt continuo: nec refert, quomodo tollatur. Propterea apud neminem exempla digreſſionum plura, quam apud eundem occurrunt. Nam & in Homiliis, quibus juramenta oppugnat, imo aliis quoque ita interdum digreſſus eſt, ut quæ animo deſtinaverat, rejicere in alium diem, & tum illuc, ubi diverterat, redire cogeretur. Idem Auguſtino quoque contigit ſæpiſſime: nec latere eos poteſt, qui vel obiter tantum conciones ejus triverunt *. Quod quidem ego pro reverentia in Sanctiſſimos Doctores divino ſpiritu impellente factum, nullus dubito: tam parum id caſui, multoque minus imperitiæ cenſuerim tribuendum. Neque me fugit, quod a Poſſidio de S. Auguſtini aberratione quadam *in Vita cap.* 15. memoratum eſt. Huic enim aliquando Deus eorum, quæ præmeditatus erat, memoriam ita abſtulit, atque delevit, ut abiret longiſſime a propoſito ſuo, & illius loco alia omnia reponeret. Itaque in Manichæorum hæreſin digreſſus, poſtea in ea re divini conſilii aliquid haud obſcure agnovit. Nam mercator quidam Manichæus, qui tum forte inſcio præſule concioni intererat, inter lacrimas ad ejus ſe pedes abjecit, cauſamque rogatus, ipſam illam excurſionem allegavit, ab Auguſtino, contra quam ſtatuerat, ſuſceptam; hac ſe aſſerens, id ut faceret, penitus perſuaſum, & tantum non adactum eſſe. Sed & ipſe Chryſoſtomus lucrum ea re, non damnum retuliſſe ſe putabat, uti pulcre *Homil. de Cura proximi*, *& nomine Abraham* auditoribus explicavit.

52. Poſtremo loco iſtuc de fine ſacri Oratoris cogitare debemus, eum ita comparatum & cum alio quodam connexum eſſe, ut ſi illum velut proximum

* Vide *Serm.* 11. *de verbis Dom.* nunc 71. Item 30. *de verbis Apoſt. nunc* 182. & Homil. 27 ex 50 nunc 352.

ximum non obtineat, alterum, neque eum pœnitendum, conſequatur: diverſiſſima iterum a ſæcularibus ratione. Nam ſi illi, cum nec pro ſe, nec pro aliis, quod volebant, evincere potuerunt, affliguntur ſcilicet, deſperant, & incœpto deſiſtunt, vocem cauſantes incaſſum contritam, & laborem iniquiſſime collocatum. Aliter Patres; certi nunquam actum ſe agere, etiam cum parum admodum, aut nihil prorſus hortando profeciſſent. Ita S. Bernardus *L.* 4. *de Conſiderat. cap.* 1. quam breviter, tam clare etiam, atque eleganter Eugenium Papam admonuit: *Fac tu, quod tuum eſt; nam Deus, quod ſuum eſt, curabit. Planta, riga; & tuas expleviſti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus: ubi forte noluerit, tibi deperit nihil. Medici eſt medicamenta adhibere: non eſt in manu medici ſemper, relevetur ut æger. En plaga; tibi incumbit, cura eam. Curam exigeris, non curationem.* Et S. Auguſtinus generoſe profecto * ſe & alios oratores exemplo Domini ſolatur, qui offenſis hominibus ex verbo ſuo, & tanquam durum refugientibus, etiam eos, qui remanſerant, interrogavit, nunquid & ipſi vellent pariter abire? Nimirum, ut oſtendit Sanctus Doctor, nullum propterea cœleſti civitati detrimentum imminet, & is, qui ſit periturus, nunquam ſane ad eam pertinebat. Hac cogitatione armatis nobis, pergit, ceſſaturum timorem de incerto exitu concionum noſtrarum, imo ſi quid propterea moleſtiæ perpetiendum ſit, majus etiam ſolatium habituros, quando ſecuros id faciat, quod intentio non gloriam propriam, ſed divinam charitatem ſpectaviſſet. Nempe & merces integra manet, nec Deus eventu metitur laborem

 ſervi,

* *Capite* 11. *Libr. de Catechizand. Rudib.* qui liber in eo fere conſumitur, quod Doctorem chriſtianum ibi firmet ad conſtantiam, ubi profanus nullam plane eſſet habiturus.

ſervi, ſed fidelem operam, utut ſoli vitio fruſtratam atque inutilem, fors liberalius etiam, certe non parcius, quam eorum, qui ex aliis fertilioribus agris meſſem uberrimam, & innumerabiles fructus retulerunt. *Neminem*, ait Chryſoſtomus *Homil. in terræ motum*, *non longe ab initio. Neminem corrigo: quid tum poſtea? ſed ego mercede non careo.* Idem alio loco, Concione 1. de Lazaro, ubi fuſe de hac re, & eleganter differit: *Noſtræ partes ſunt admonere*, inquit: *illorum vero obtemperare. Et quemadmodum, ſi nos admonendi officio functi non fuerimus,etiamſi ſexcenta illi bona opera ediderint, ipſis ſolis repoſitum eſt præmium, ad nos nihil redibit lucri; quandoquidem non dedimus conſilium: ita ſi nobis admonentibus illi non auſcultarent, ad ipſos ſolos redibit omnis ultio, nobis autem nihil imputabitur, quin potius copioſa merces nobis veniet a Deo, ſiquidem quidquid in nobis erat ſitum, præſtitimus. Nihil aliud jubemur, quam apud menſarios deponere pecuniam, loqui & conſulere. Loquere igitur, & admone fratrem. Verum non audivit? Tu nihilo ſecius habes paratam mercedem, ſi non deſtiteris, priusquam perſuadeas, donec ſpiritum efflaveris. Terminus monendi ſit obedientia monitionem tuam recipientis &c.* *.

53. Id vero maxime etiam huc pertinet, quod idem *non uno loco* vel in unius auditoris gratiam vult non intermitti concionem. Grande enim eſt operæ pretium vel unius animam ſervare, omnesque per omnem vitam huc impenſi labores, curæ, certamina non bene tantum, ſed ita impenſa forent, ut melius non poſſint. Quoniam vero huc delati ſumus: quis ſine ſenſu pietatis illud reputet ſecum, quo Sanctiſſimus hic Orator *Homil. ſupra laudata in terræ motum* ſeſe ad dicendum exſtimu-

* Atque ejusmodi plurima cum alii PP. tum maxime idem alibi habet.

ſtimulavit, nullo ad auditores, nullo ad fructum, nullo ad ſe habito reſpectu!. Enimvero pertentari mihi cor ſentio, & præ extremo pudore conſpectum mei non fero, ubi eum ità audio differentem: *At enim mihi dices, quid dicendo proficis? proficio, ſi quis me audiat. Ego quod officium meum eſt, id præſto. Seminator ſeminat; exiit ſeminator ad ſeminandum, & quædam ceciderunt ſecus viam, quædam ſupra petram, quædam ſupra ſpinas, quædam in terram bonam. Tres partes perierunt, & una ſervata eſt, nec ab agricultura deſtitit; ſed quoniam una con ſervata eſt, agrum colere non ceſſavit. Et vero nunc in tantam multitudinem projectum ſemen fieri non poteſt, quin mihi ſegetes proferat. Tametſi non omnes audiant, dimidia pars audiet: & licet non dimidia pars, tertia: & licet nec tertia, decima: & licet nec decima, licet unus ex ea multitudine auditurus ſit, audiat. Non enim exiguum eſt vel unam ovem ſervari; quandoquidem & paſtor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno. Licet unus ſit, homo eſt, animal Deo chariſſimum. Licet ſervus ſit, contemnendus mihi non videtur. Non enim dignitatem quæro, ſed virtutem, non dominationem, aut ſervitutem, ſed animam. Licet unus ſit, homo eſt, propter quem cælum extenſum eſt, ſol lucet, luna decurrit, aër effuſus eſt, fontes ſcaturiunt, expanſum eſt mare, Prophetæ miſſi ſunt, & lex data eſt. Et quid opus eſt cuncta perſequi? propter quem unigenitus Dei Filius factus eſt homo! Dominus meus immolatus eſt, & ſanguinem ſuum pro homine fudit, & illum ego contemnam? qua vero dignus venia fuero? ... Equidem dicere non ceſſabo, licet nullus ſit, qui audiat.*

Quid hic cogitamus viri fratres? quid reponimus? Numquid iſta, uti diſtantiam inter nos, & declamatores extremam oſtendunt, ita alia longe ſenſa ingerunt, Zelique ſcintillas aliquas exſuſcitant?

tant? His cogitationibus imbuti Patres fuerunt, atque utinam omnes imbuerentur, quotquot in eorum deinceps locum, & officia ſuccedent! Neque vero quis putet, nunquam id reipſa eveniſſe Patribus, uti auditor ipſis deeſſet, & ſolitudo fieret ex concione. Primis enim ſæculis propter locorum anguſtias per ſe multi aditu prohibebantur, & jam atrocitas perſecutionis, jam hæreſum ſchismatumque frequentia fecit, uti, præſertim in oppidis, ad pauciſſimos ſæpe dicendum eſſet, & grex alias puſillus penitus disjiceretur. S. Gregorius Thaumaturgus, de quo jam ſupra commemoratum eſt, etſi eloquentia, & ceteris artibus inſtructiſſimus Epiſcopatum adiret, plures tamen auditores non habuit, quam ſeptendecim, atque ad hos vir ſummus nihilo languidius dixit, atque alii ad multitudinem infinitam. Sed hac ipſa conſtantia non minus, quam miraculis undantem paulatim populum attraxit, tantique ad eum audiendum concurſus fiebant, ut moriens totidem gentiles relinqueret ſucceſſori, quot initio concionum ipſe Chriſtianos invenerat. Quam autem accurate ſuos inſtitueret, quamque ſolicite, inde colligitur, quod mulieres etiam, quæ ipſum audiſſent, idoneæ fierent ad alios inſtruendos. Certe S. Baſilius, & Gregorius Nyſſenus aviæ ſuæ, diſcipulæ ejus, inſtitutione, quam pueri acceperant, jam Epiſcopi gloriati ſunt,

Legat hoc loco Eccleſiaſticus curæ animarum admotus Librum ſecundum Vitæ S. Saleſii, quam copioſiſſimam Gallice conſcripſit. Sane mores habent, & pene fidem excedunt, quæ ibi *capite* 7. §. 3. impetraſſe a ſe in ea paucitate auditorum ſanctus Præſul memoratur. Adjuro igitur te, quicunque in chartas eas incides, & per manſuetudinem, ac charitatem admirabilis viri, qui labore, fructuque concionum præcipuis Patribus nihil concedit, rogo, quæſoque, uti illa perpendas ſtudioſe, atque cum

cum ſupradictis componas. Scio non pœnitebit laboris ejus: certe haud paulo efficaciora erunt, quam quæcunque hic ego, aut etiam alius, prolixe porro eſſem commoniturus.

§. V.

Diſcrimen Eloquentiæ Patrum, & Declamatorum ex Mediis, quæ adhibebant.

54. Mediorum loco intelligo remotam æque, ac proximam præparationem illam, quam Oratores, priusquam ad dicendum accedunt, pleiumque ſolent, atque etiam debent non vulgarem adhibere. Nam ego quidem oratores minime appellem eos, qui tum ſplendidiſſime concionatos ſe putant, ubi ſine cura, ſine labore proruerunt in cathedram, & quaſi pro jure quodam ſuo moleſtiam iis exhibent, quos benevolentiſſimos a ſe dimittere debuiſſent. Et quidem qui ſagaciores ſunt ex auditoribus, & rectius ceteris ſolent de rebus judicare, utut in meliorem partem accipiant ipſam doctrinam, doctorem tamen a culpa nunquam excuſabunt; ſed vel fugam laboris objicient, vel nullam ſui rationem habitam, ſed & Evangelio ipſi injuriam non levem factam palam indignabuntur. Quid enim? num privilegium hoc eſt ſacræ eloquentiæ, nullo ordine, nulloque delectu, uti fors obtulit, temere effutire omnia, & quadrata rotundis permiſcere poſſe? Hanc a nobis reverentiam divinæ Literæ promeruerunt, decus, gloria, & ſolatium noſtrum, dum in exilio hoc ſumus conſtituti? abjiciemus ergo inſtrumenta illa, quæ ad ſublimiſſimas res ordinavit Deus, & unde ſalus pendet hominum plurimorum? Et profecto ſi ad aliam quamcunque cauſam accedere imparatum turpe fuerit, imo, ubi per patroni ignaviam ea ceciderit cliens, injuſtum quoque: quanto magis crimini dabitur in cauſa Dei, quæ

ſumma eſt omnium, curæ quantum plurimum quis poterat, non attuliſſe? Quanta hac in re profanorum contentio, quam improbus labor, quam inſomnes, & curarum plenæ noctes fuerint, quas fecerint impenſas, quæ itinera ſuſceperint, vulgatius eſt, quam ut hic curioſe debeat a nobis commemorari. Pericles inter oratores ſummi Vir nominis nunquam dicebat ad populum, niſi multa meditatione, curaque ſingulari præmiſſa, ita quidem, ut antea, quam domo pedem efferret, rogaret Deos, ne vel verbulum elabi ſibi ex iis paterentur, quæ concepiſſet ipſe, quodque e re auditorum fore illi prævidèrent. Cicero *in Bruto n.* 305. *Reliquos*, ait, *frequenter audiens acerrimo ſtudio tenebar, quotidieque & ſcribens, & legens & commentans oratoris tantum exercitationibus contentus non eram* *. Sed & quantamcunque jam exercitationem, uſumque dicendi ſibi paraverat, fatetur tamen, ſe ad tenuiores etiam cauſas nunquam niſi paratum, & meditatum venire. Quam vero ſolicitos, quamque induſtrios in eam rem ſuos Quintilianus requirit? tantum certe poſtulat, quantum quiſque poſſit præſtare, eumque qui ſecus fecerit, non negligentem ſolum, ignavumque, ſed malum hominem, ſed perfidum, ſed ſuſceptæ cauſæ proditorem appellat. At nemo hac in re cum Demoſthene conferri poteſt, tantum moleſtiæ, atque etiam periculi ac cruciatus ſibi ſumpſit, quo ſe ad dicendum pararet. Præterquam enim, quod cogitationes huc omnes transferret, aliorum orationibus adeſſet ſemper, & domi examinaret omnia, atque ſeponeret, quæ profutura ſibi aliquando ſperabat: vitia quoque naturæ, & dicendi maxima impedimenta Demoſthenes ſuperavit. Nam & balbus erat, & ejus ipſius artis,

* **Hic liber magnam partem legendus eſt ad præparationis hujus diligentiam cognoſcendam.**

artis, cui ſtudebat, initialem literam pronuntiare nequibat. Effecit autem pertinaci labore, uti nemo volubiliore lingua deinceps uteretur. Sed cum ſpiritum quoque anguſtiorem haberet, & creberrime anhelaret, conjectis in os calculis, neque loco conſiſtens, ſed inambulans, & arduo aſcenſu ingrediens, ita diſtendit pulmonem, & vocem exacuit, ut traheret longiſſimas periodos, & quantum vellet, in dicendo ſpiritum contineret. Illud quoque de eo Tullius ſcribit, ne fremitu concionis turbaretur, ad litus pelagi deambulare & tamdiu prænudere concioni ſolitum, dum denique ipſis fluctibus vociferando prævaluiſſet. Ad ſpeculum etiam conformans actionem, geſtus, motusque ſuos omnes librabat. Cum autem vidiſſet ſe humeros indecore attollere, eaque maxime de cauſa exploſum a populo audiret, tam obnixe in vitio eo tollendo adlaboravit, ut haſtis ſuſpenſis, obverſisque coërceret ſeſe, nec ſineret corpus tanto objecto metu ſubſultare. Adhæc Thucydidem, quo familiariorem ſibi redderet, ſepties manu ſua deſcripſit, & de orationibus ejus univerſim dicebant, quod lucernam olerent, ipſeque fateri ſæpius auditus eſt, indignari ſe ſibi, atque adeo indolere, ſi forte faber quiſpiam, aut alius opificum antelucanas ſuas vigilias prævertiſſet. Quo autem facilius moleſtias has omnes perferret, eo ſe conferebat, ubi nec proſpectus in publicum pateret oculis, neque vox aliqua, aut ſtrepitus auribus illapſus ſcribentem interpellaret. Sed & ſemitonſus barbæ partem alteram alebat, ut hac ipſa ſpecie cogeretur abſtinere a conſuetudine hominum, & domi ſe diſceret continere *.

55. Tan-

* Quantum a tenera ætate ſtudiis Eloquentiæ darent, qui foro parabantur, docet Cicero *Dialogo de oratore. n.* 34.

55. Tanta autem cum iſti præſtiterint, quæ apud aliquos vix fidem invenient: Superi! quid nobis recuſandum, quamque ſolerti cura providendum, ne in cauſa tanto ſuperiore deſiderari aliquid a nobis patiamur? Patres certe, quoties licebat, diligentiſſimos invenio in paranda concione extitiſſe. S. Ambroſius arrepto Sacro Codice totum ſe divinis rebus immergebat, profundiſſima cogitatione, & ſtupenti ſimilis conſidebat. S. Chryſoſtomus ad Divi Pauli effigiem lucubrabat, illumque veluti oraculum ſcilicet, ac præceptorem ſuum ex oculis nunquam dimittebat. S. Bernardus ſubducere ſe clanculum conſueverat, & cum locus ferret, intra arbores ſe, & nemus abdere, ubi nec quemquam videret ipſe, neque ab alio in æſtu eo animi obſervaretur.

Verum hac ipſa in re, quando tempus illos deficeret, aut alia æque neceſſaria diſtinerent, minus ſane anxii Patres fuerunt; novo rurſum a profanis diſcrimine, quo pudor quibusdam incutitur ſalutaris, exprobraturque vaniſſimæ diligentiæ, Deum minus multo exigere a ſuis pro vera, ſempiternaque felicitate, quam a ſuis mundus pro falſa, & peritura exegiſſet*. Igitur Patrum plurimi ne quidem ſcripto concipiebant orationes ſuas, ſed dicebant ex tempore. Vades præſtare poſſim celeberrimos Scriptores, qui omnium manibus teruntur. Ludovic. Antonius Muratorius *Libr. de dignitate Eloquent. popular.* a Baſilio, Chryſoſtomo, & Auguſtino frequenter id aſſerit fuiſſe factitatum. Idem jam ante Carolus Ruæus vir eximius in diſſertatione concionibus præfixa, & Bonaventura Argonnenſis *de optima Method. Legend. Patres Part.* 4. *cap.* 15. de tribus illis affirmarunt. Et de Chryſoſtomo

* Lege ſis in eam rem Thomaſſinum *de Eccleſ. Diſciplin. Part. II. Libr.* 3. *c.* 83.

ſtomo quidem Montfauconus, Stiltinghus, ipſaque viri ſancti epiſodia clare id evincunt. Sed etiam de S. Bernardo iſtuc ipſum diligenter eruditiſſimus Mabillonius obſervavit. Quid quod ipſi Patres aperte, diſertisque verbis de ſe id fatentur? S. Gaudentius Brixienſis in Epiſtola ad Benevolum, quam Tractatibus, id eſt Concionibus ſuis præmittit: *Scribere tibi aggredior*, ait, *omnino iisdem ſenſibus, & fortaſſe etiam verbis, quibus me in Eccleſia locutum eſſe reminiſcor.* S. Hieronymus nitidiſſimas Epiſtolarum ſuarum urgentibus abitum bajulis deproperare compulſus eſt, vel omnino ad calamum, quod dicunt, amanuenſis plurimas dictavit. S. Auguſtinus *Libro 4. de doctr. chriſtian. cap.* 10. non permittit tantum chriſtiano oratori, ſed ſuadet etiam magnopere, ut inter dicendum ad auditorum comparationem, geſtusque, ac ſigna ipſa attenderet, eisque orationem attemperaret. Addit S. Doctor, id multo utilius eſſe ad populum, quam ſi operoſius ante concepta & chartæ, & memoriæ mandarentur. *Ubi omnes tacent*, inquit, *ut audiatur unus, & in eum intenta ora convertunt, ibi ut requirat quisque, quod non intelligit, nec moris eſt, nec decoris. Ac per hoc debet maxime tacenti ſubvenire cura dicentis. Solet autem motu ſuo ſignificare avida multitudo cognoſcendi, utrum intellexerit. Quod donec ſignificet, verſandum eſt, quod agitur, multimoda varietate dicendi, quod in poteſtate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant.* Et de ipſo quidem Auguſtino ſuper *Pſalmum* 103. *in fine* habemus, quod præter ſenſum locorum, quos explanandos ſuſciperet, & veritatum, quas varias continerent, aut etiam aliorum locorum, quibus explicarentur magis, nihil ſcribere ſoleret. Idem in *Pſalm.* 138. cum lector aberraſſet, & alium, quam juſſus erat, locum recitaſſet, obſecutus ille errori, oblatam potius, quam paratam materiam pertractavit. Sed & cete-

ceterorum librorum majorem partem vel dictavit ipſe quoque amanuenſibus, vel excipi a dicente ſe ita paſſus eſt, uti ea in ſuggeſtu ſacro pronuntiaſſet. De S. Gregorio Magno *Libro* 10. *Epiſt.* 22. *nunc Libro* 12. *ep.* 24. *ad Joann. Ravennat. Subdiacon.* idem colligitur. Mitto plures alios, uti Origenem, Ambroſium &c. ne in re manifeſta hæream diutius, & nimius fiam *.

56. Quo minus vero ſibi hac in parte laboris ſumpſerunt Patres, eo plus operæ, atque contentionis in precationem contulerunt, rati hoc in negotio primas gratiæ deberi, ſine qua ſubſidia reliqua omnia ſupervacanea forent. Origenes *Homil. in cap.* 13. *Matthæi* ſicut prædicationem cum ſatione confert, ita internæ gratiæ omnia, quæ Solis eſſent, attribuit. S. Auguſtinus *Tract.* 3. *in Epiſt. Joannis ad finem* monet, fruſtra nos exterius clamare, ſi non intus ille loquatur, & cor moveat, qui cathedram in cœlo habet. Similia ait *Tractat.* 26. *in Joann.* & *Libr. de gratia Chriſti a cap.* 7. & in *Pſalm.* 87. ad illud: *Nunquid medici ſuſcitabunt.* Item S. Proſper *Carm. in ingratos.* S. Fulgentius *Libr. de fide ad Petrum cap.* 32. S. Gregorius Magnus *Hom.* 30. *in Evangel.* ad illud: *ipſe vos docebit omnia.* Qui ipſe S. Doctor non ſemel illam quoque rationem urget, concionatori, quod effundat in populum, tempore orationis a Deo velut fonte hauriendum. Sic *Libro* 6. *Moral. cap.* 25. *Humani generis Redemptor*, ait, *per diem miracula in urbibus exhibet, & ad orationis ſtudium in monte pernoctat, ut perfectis*

* De more ſcribendi ſub concione vide Nazianzenum *Orat.* 32 *ad finem.* Socratem in *Libr. VII. cap.* 2. *&c.* De dictatis vero inſignes loci ſunt apud Hieronymum *Libr.* 3. *in ad Galatas*, *& Epiſt.* 146. *nunc* 21. Adde Gregor. *Hom.* 21. *in Evangelia*, *& Prologo in eundem Librum Homiliarum*, Guilielmum Abbatem S. Theodorici *L.* 2. *vitæ S. Bernardi cap.* 6. & Goffridum *in eadem L.* 3. *cap.* 4.

ctis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore ſpeculationis funditus deſerant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, ſed quieti contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos refundant. S. Bernardus tanti uſus in dicendo, tantoque fructu per omnem vitam in eo munere verſatus *Epiſt.* 201. tria ad hominum ſalutem neceſſaria præcipit nobis, uti verbo, exemplo, & oratione eos paſcamus. *Manent itaque tria hæc*, ait phraſi Scripturæ, atticiſmo ſcilicet ſuo, *verbum, exemplum, oratio. Major autem his oratio; nam etſi vocis virtus ſit opus, & operi tamen, & voci gratiam, efficaciamque promeretur oratio.* Chryſoſtomus *Hom.* 3. *de incomprehenſibili Dei natura ſub finem* de auditoribus æque, ac oratoribus aſſeveranter pronuntiat: *Quid concio proſit, niſi ſit cum oratione conjuncta? prius oratio, deinde ſermo.* Jucundum eſt legere, quod S. Gregorius Nyſſenus de S. Ephræm in elogio ejus ſcribit: *Conciones ejus, nihil niſi precatio interpellabat, precationemque iterum conciones, has lacrimæ, lacrimas rurſum preces excipiebant, eratque ſermo ſermonis, aut ut magis proprie dicam, in ſermone aſſidue in divinarum rerum contemplatione occupatus* *.

Igitur Patres, præterquam quod hæc alias præcipua occupationum ipſis eſſet, & noctes ſæpe integras orando tranſigerent: nihilominus cum tempus dicendi inſtaret, augebant precandi ſtudium, atque ex magno maximum efficiebant. *Agit noſter ille eloquens*, inquit Auguſtinus *Libr. ſupra cit. cap.* 14. *cum & juſta & ſancta, & bona dicit (neque enim alia*

* Huc etiam pertinent, quæ PP. paſſim monent, uti nos ad aliorum utilitatem præcipue ſtudio propriæ perfectionis, ſolitudine, familiaritate cum Deo &c. paremus, nec ita curemus ſalutem alienam, uti propriam negligamus. Legatur Bernardus *Libr.* I. *de conſiderat.* & *Serm.* 18. *in Cantica.*

alia debet dicere) agit ergo quantum poteſt, cum iſta dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, & hæc ſe poſſe, ſi potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet; ut orando pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit orator, antequam dictor. Ipſa hora jam ut dicat, accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat. Cum enim de unaquaque re, quæ ſecundum fidem, delectationemque tractanda ſunt, multa ſint, quæ dicantur, & multi modi, quibus dicantur ab eis, qui hæc ſciunt: quis novit, quid ad præſens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt? & quis facit, ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur a nobis, niſi in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri? Ac per hoc diſcat quidem omnia, quæ docenda ſunt, qui & noſſe vult, & docere, facultatemque dicendi, ut decet virum Eccleſiaſticum, comparet: ad horam vero ipſius dictionis illud potius bonæ menti cogitet convenire, quod Dominus ait: nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus Sanctus, qui perſequentibus traduntur pro Chriſto: cur non & in eis, qui tradunt diſcentibus Chriſtum? Ita eo loco Auguſtinus attente legendus, quod & ſenſus habeat graves, & obſcurius nonnihil loquatur. Sed etiam ſequenti capite fuſius monet, non propterea ceſſare prædicatorem debere, aut committere, uti ex ſua parte quidquam deſideretur. Uti enim in medicamentis fieri ſolet, ait, etſi nulli proſint, niſi cui Deus voluerit, qui etiam ſine illis mederi poteſt, adhiberi tamen a medicis ſemper conſueverunt: ita & hic Doctores, quod ſuum eſt, præſtant, quo plura præ-

ſtet

ſtet Deus, qui ea quoque præſidia, quibus minime eget, nunquam vult prætermitti.

Habemus jam, quomodo ſe Patres ad dicendum ſolerent comparare. Utinam & nos eos potius, quam profanos imitemur! fructus ſane extaret copioſior multo, multoque conſtantior. Id cum in pluribus aliis, tum maxime in Alphonſo Lupo patuit Franciſcanæ diſciplinæ ſeverioris celeberrimo oratore, qui uti in rebus omnibus, ita in precandi ſtudio Patres imitari quam proxime ſemper ſatagebat. Inde & factum eſt, uti poſt hominum memoriam nemo ita turbaret, atque concuteret animos concione ſua. Vox hominis procul trahebat populos, nec facile dictu eſt, quam multi eo hortatore abdicarint mundum, & in monaſteria ſeceſſerint. Hic ſæpe in ipſo impetu, & ardore dicendi ſublatis oculis, & ſupplicantis voce repetebat precationem, partemque illius gratiæ rogabat, qua perfuſus aliquando undanti populo rectam ad cœlum viam commonſtraſſet, qua ſane ipſa converſione orationis, ſimpliciſſimo & antiquo more facta, haud parum perſuadebat. Cardinalis Federicus Borromæus, qui hominem noverat, *Libr. 2. de claris Oratorib.* initio ita de eo in rem noſtram ſcribit: *Concionis apparatus cum anxia, & perpetua fiebat ſollicitudine, neque legendo tantum, ſed quod pluris eſſe judicamus, multa, & efficaci precatione divinam opem implorando. Tunc ſcilicet audiebantur illius ſuſpiria, ducendoque ſpiritum ab imo pectore, fremebat interdum ſubmiſſo quodam mugitu, qui licet ab eo comprimeretur, erumpebat, ita, ut facile contubernales audirent, ſcirentque inde, futurum eſſe, ut proxima concione ſolito vehementius fulminaret, ac tonaret. Hic tantus ardor in precando remittebatur interdum: quod cum accideret, ingenue accuſabat ipſe calamitatem, ajebatque ultro, matutinam ejus diei precationem non commode ſuc-*

ceſſiſſe ſibi, nec mirum ideo, ſi langueret oratio, ac frigeret.

57. Alterum Medium, cui Patres plurimum quoque tribuebant, eſt exemplum vitæ, innocentia item atque integritas morum, quibus ſane rebus ſermoni vim admirabilem conciliarunt. Equidem probe novi, profanos quoque Rhetores exemplum, & verbis conformem vitam requiſiviſſe, ratos, eum qui bonus non habeatur, bona ſuadere non debere, certe perſuadere non poſſe. Eloquentiam enim, ac honeſtatem Cicero, & Quintilianus ita connexas volunt, ut dicere bene non poſſit, qui male viveret. Ideo cum Catone oratorem definiunt *Virum bonum dicendi peritum.* Secus, ajunt, nec valet teſtimonium ejus, nec ſententia recipitur, & grande præjudicium cauſæ eſt advocatus; quaſi cum ipſe ſit malus, nec cauſa eſſe ſat bona poſſit. Carneades in eo, qui diceret, caput eſſe arbitrabatur, ut talis, qualem ſe ipſe optabat, populo quoque videretur; quod ſane, niſi vitæ honeſtioris diſciplina, nemo mortalium unquam impetrabit. Pericles ſupra laudatus ſimul atque ad rempublicam, & cauſas acceſſit, non vitæ modo rationes, ſed externum quoque hominem totum immutavit. Alio inceſſu, vultu, ſermone eum dixiſſes. Nullibi ſubſiſtere, nihil niſi probabili ex cauſa vel loqui vel agere conſtituit, atque uti conſtituerat, ſolicite etiam obſervavit. Demoſthenes ubique ſtudet colligere famam probitatis. Nam & ſeveros mores præſefert, & hominum judicia, ac potentiam ſpernit, verbaque ipſa & ſuſpicione vanitatis carent, & juſtitiam, animique invictum robur ubique demonſtrant. Sed & dona averſatus dicitur, & corruptis omnibus magiſtratibus ſolus habuiſſe manus continentes. Sic aliis quoque oratoribus vitæ probitas curæ ſemper fuit; unde illos ipſos, qui bene dicendi Magiſtri olim erant, & recte vivendi præcepto-

ceptores fuiſſe comperio, unaque & linguam, & mores adoleſcentium informaviſſe. Recte ergo Lacædemonii meo judicio fecerunt, cum improborum nec rectis quidem ſententiis ſuffragarentur. Vir malus, & ad Venerem projectus ſententiam in Senatu dixerat luculentam, & ſalutarem: cumque ad eam circumſtantis populi ſonantes cachinni exaudirentur, Ephori reputantes ſecum, utut hominis vita culparetur, conſilium tamen, quod maxime ex uſu, & re publica erat, contemni ſine detrimento haud quaquam poſſe, alium annis & moribus gravem ſurgere juſſerunt, qui illud ipſum ſuo nomine, & aliis verbis inculcaret. Quo facto mox popularis admurmuratio cum jucunditate, & conſenſione mirabili eſt conſecuta. Tantum, addit Plutarchus, cujus ea narratio eſt, tantum in probis moribus, tantum in vitæ integritate momenti eſt.

Quod ſi tamen hæc omnia penitius conſiderantur apud Ethnicos, præter externam honeſtatem nihil admodum illi deſiderabant. Certe occulta vitia, quantacunque illa eſſent, Judices, & populum, qui ea ignorabant, nihil offendere potuerunt. Dein, modo ab ea parte purus erat orator externus, quam ipſe dicendo tangebat, nihil admodum cetera in eo vitia morabantur. Accedit, quod latiſſima apud eos eſſet acceptio honeſtatis, & cum virum bonum dicerent, eum intelligerent, qui manifeſte malus non eſſet. Id ex ipſo Quintiliano ſatis clare colligitur, cum *Libr.* 12. *cap.* 1. neceſſitatem honeſtatis ejus in viro eloquente oſtendit. Docet enim, ſi malis quoque eloquentibus eſſe liceret, eloquentia, quæ dos eſt naturæ pulcherrima, atque præcipua, & quæ nos a ceteris animalibus diſcernit, nihil publicis privatisque rebus perniciofius fore. Itaque non parentem, ſed novercam fore dicendam naturam, ſi facultatem dicendi ſociam ſcelerum vo-

luiſſet, eamque veluti furioſo gladium in manus daret, quo ſolum jam ad opprimendam innocentiam, & veritatem oppugnandam valeret. Et recte ſubjungit, ſatius futurum, ſi mutus quis natus eſſet, rationeque ipſa careret, quam ut dono iſto providentiæ tam ſancto, tam venerabili ad res malas abuteretur. Quæ ſane omnia, aliaque eodem duodecimo libro huc ab eo diſputata, non tam in eos, mihi dicta videntur, qui non optimi, ſed qui plane peſſimi extitiſſent *. Dein, ut de fortunatis ſceleribus nihil dicam, quæ virtutum loco ab iis habita ſunt ſemper, quibus non flagitiis, qua morum licentia opus apud eos fuit, ut malus quis, & ſceleratus publice haberetur?

Contra Patres ad exemplum populi non communem aliquam probitatem & exegerunt ab aliis, & ipſimet exhibuerunt. Undique nitere volebant chriſtianum oratorem, atque omni vitio ita vacuum eſſe, ut cupiditates, etiam ubi ſolus eſſet, edomitas haberet, ac obſequentes. Plus dico: & illud requirebant, ut quo longius abeſſet ab illicitis, a licitis quoque aliquibus temperandum ſibi putaret. Ita enim non coram hominibus tantum, ſed ipſo Deo bonum compariturum, præſertim quod apud Chriſtianos mala non agere nunquam ſufficiat, niſi & bona quædam homini acceſſiſſent. Scio Auguſtinum ** rectiſſime advertiſſe, eum qui vere probus ſit, parum attendere ad præconis improbitatem. *Laicus qui vult bene vivere*, inquit, *cum attenderit Clericum malum, quid ſibi dicit? Dominus dixit: quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite. Ambulabo*

* Neque plus evincunt alia, quæ *ibid. & in Proœm. Libri* I. diſputat: quod ſi evincerent, fidem ſibi ipſe derogaret; quando ſummi, quos allegat, Oratores, Cicero, Cæſar &c. vitiis etiam majoribus non caruerunt.

** Serm. 137. alias 49. de Verb. Domini *circa medium*.

bulabo viam Domini, non ſequar iſtius mores. Audiam ab illo non verba ipſius, ſed Dei. Sequar Deum, ſequatur ille cupiditatem ſuam. Quia ſi voluero apud Deum ſic me defendere, ut dicam: Domine! vidi male viventem illum Clericum tuum, & ideo male vixi: nonne mihi dicturus eſt: Serve nequam, non a me audieras, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Sed quot, per Dei amorem rogo, quot ſunt ejuſmodi? quot ita cogitant ſecum? potius contraria plerique concludent, ut idem Sanctus mox ſubjicit. *Malus autem Laicus, & infidelis, non pertinens ad gregem Chriſti, non pertinens ad frumentum Chriſti, qui tanquam palea in area toleratur, quid ſibi dicit, quando cœperit illum arguere verbum Dei? Exi: quid mihi loqueris? ipſi Epiſcopi, ipſi Clerici non illud faciunt, & me cogis, ut faciam? quærit ſibi non patronum ad cauſam malam, ſed comitem ad pœnam.* Quod ſi objicias mihi vel ſic tamen prodeſſe oratorem quandoque poſſe: repono ex eodem Auguſtino locum alium, probe a nobis omnibus ponderandum. *Multi proſunt dicendo, quæ non faciunt, ſed longe pluribus prodeſſent faciendo, quæ dicunt. Libr. 4. de doctrina Chriſtiana cap.* 27. ſi ergo nonnullus interdum fructus exiſtat: certe rerum tractandarum pondere ſemper minor eſt. Itaque PP. propter auditorum infirmitatem neceſſarium putabant exemplum, ſine quo poſſit quidem Concionator loqui, ornate etiam & copioſe, ſed ita, ut quemadmodum Sacer Hiſtoricus de Balaamo dicit, verbum ſolum ſit in ore ejus, non & in corde poſitum. Unde ardorem habere non poteſt cauſæ commenſuratum, neque unctionem illam a Deo fidelibus animis dari ſolitam, ſed nec exiſtimationem ipſius populi, parum ſerio, quæ toties inculcat, dici ab ipſo, perſuaſum habentis. Vix autem alia eſt dos oratoris, quam ſæpius, & gravioribus verbis Patres inculcent. Nam de vita ipſorum nihil attinet

 dicere,

dicere, quæ ſi non optima, ſanctiſſimaque fuiſſet, nunquam futurum erat, quemadmodum ſuo loco dictum eſt, uti Patribus noſtris annumerarentur. Audiamus ergo ſententias eorum.

„ Qui docent tantum, inquit Lactantius *Libr.* 3. „ *Inſtit. div. cap.* 16. ipſi præceptis ſuis detrahunt „ pondus. Quis enim obtemperet, cum ipſi præ„ ceptores doceant non obtemperare? bonum eſt „ autem recta, & honeſta præcipere; ſed niſi & „ facias, mendacium eſt: & incongruum atque „ ineptum eſt non in pectore, ſed in labiis habere „ bonitatem. „ Et uberius etiam *Libr.* 4. *cap.* 23. „ Quicunque præcepta dat hominibus, ait, ac vi„ tam moresque fingit aliorum, quæro, debeatne „ ipſe facere, quæ præcipit, an non debeat? ſi „ non fecerit, ſoluta præcepta ſunt. Si enim bona „ ſunt, quæ præcipiuntur, ſi vitam hominum in „ optimo ſtatu collocant, non ſe debet ipſe præ„ ceptor a numero, cætuque hominum ſegregare, „ inter quos agit: & ipſi eodem modo viven„ dum, quo docet eſſe vivendum; ne ſi aliter „ vixerit, ipſe præceptis ſuis fidem detrahat, levio„ remque doctrinam ſuam faciat, ſi reipſa reſolvat, „ quod verbis nitatur adſtruere. Unusquisque „ enim, cum audit præcipientem, non vult im„ poni ſibi neceſſitatem parendi, tanquam ſibi jus „ libertatis adimatur. Reſpondebit itaque doctori „ hoc modo: non poſſum facere, quæ jubes, quo„ niam ſunt impoſſibilia. Vetas me iraſci, vetas „ cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolo„ rem, vetas mortem timere; ſed hoc adeo con„ tra naturam eſt, ut his affectibus animalia uni„ verſa ſubjecta ſint. Vel ſi adeo putas repugnari „ poſſe naturæ, tute qui præcipis fac, ut ſciam fieri „ poſſe. Cum autem ipſe non facias, quæ inſo„ lentia eſt, ut homini libero imponere velis le„ ges, quibus ipſe uon pareas? Prius diſce, qui „ doces,

„ doces, & antequam mores aliorum corrigas, „ tuos corrige. Quis neſcit juſtam eſſe hanc re- „ ſponſionem? Quin etiam in contemptum veniet „ hujusmodi doctor, & deludetur viciſſim; quia „ videbitur & ipſe deludere. Quid ergo faciet „ ille præceptor, ſi hæc ei fuerint oppoſita? „ quomodo adimet excuſationem contumacibus, „ niſi ut præſentibus factis doceat poſſibilia ſe „ docere? „

Oſtendit autem id vir eloquentiſſimus in præceptis Philoſophorum, quos ubique acerrime inſectatur, qui quantumcunque eloquentes fuerint, optimaque vivendi præcepta dederint mortalibus, tamen pauciſſimis virtutem perſuaſerunt. „ Inde „ evenit, inquit, ut Philoſophorum præceptis „ nullus obtemperet. Homines enim malunt exem- „ pla, quam verba; quia loqui facile eſt, præſtare „ difficile, utinamque tam multi bene facerent, „ quam multi loquuntur bene! Sed qui præci- „ piunt, nec faciunt, abeſt ab iis fides. Et ſi „ homines fuerint, contemnentur ut leves, ſi Deus, „ opponetur ei excuſatio fragilitatis humanæ. Su- „ pereſt, ut factis verba firmentur, quod Philoſo- „ phi facere nequeunt: itaque cum ipſi præcepto- „ res vincuntur affectibus, quos vinci prædicant „ oportere, neminem poſſunt ad virtutem, quam „ falſo prædicant, erudire. „ Quæ idcirco huc appoſui inſuper habita prolixitate ſermonis, quod vim habeant, copiam & facundiam ſingularem.

Brevior eſt Chryſoſtomi locus, quem adduco, ſed qui fortaſſe propius etiam interiorem rei rationem tangat. „ Facile eſt philoſophari verbis; „ doce me per vitam tuam. Hæc eſt optima do- „ ctrina. Dicis, modeſtia opus eſſe, & hac de re „ longum texis ſermonem, atque oratoria ſine „ obice verba profundis? At melior te eſt ille, „ dicet quiſpiam, qui hoc operibus me docet.

 „ Non

„ Non enim diſciplinæ ita verbis ut operibus ſolent animis inſinuari. Nam niſi opera habeas, „ non modo non prodes verbis, ſed etiam magis „ noces. Melius eſt tacere. Quare? quia rem „ mihi impoſſibilem proponis. Cogito enim, ſi tu, „ qui hæc dicis, non facis, multo magis me venia dignum eſſe, qui nihil dico. Ideo ait Propheta: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas?* Majus enim hoc nocumentum „ eſt, cum quis recte docens verbis, doctrinam „ factis impugnat. Hoc multorum in Eccleſiis „ fuit cauſa malorum. „ *Hom.* 30. *in Acta.*

S. Hieronymus cum alias ſæpe, tum vero præclare *Epiſt.* 16. *nunc* 127. *ad Principiam.* „ Legimus, quia cœpit Jeſus facere, & docere. Erubeſcit enim quamvis præclara doctrina, quam „ propria reprehendit conſcientia: fruſtraque ejus „ lingua prædicat paupertatem, & docet eleemoſynam, qui Crœſi divitiis tumet, vilique opertus pallio pugnat contra tineas veſtium ſericarum. „ *Epiſt.* 2. *nunc* 52. chariſſimum ſibi Nepotianum ad populum dicturum informans, ait: „ Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne, „ cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipſe non „ facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre „ de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro „ poteſt. Sacerdotis Chriſti os, manuſque concordent. „

S. Auguſtinus, ex quo jam aliqua ſuperius memoravi, *Libr.* 4. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 27. „ Abundant, inquit, qui malæ vitæ ſuæ defenſionem ex ipſis „ ſuis præpoſitis, & doctoribus quærunt, reſpondentes corde ſuo, aut etiam, ſi ad hoc erumpunt, „ ore ſuo, atque dicentes: quod mihi præcipis, „ cur ipſe non facis? ita fit, ut eum non obedienter audiant, qui ſe ipſe non audit, & Dei verbum,

„ quod

„ quod eis prædicatur, ſimul cum ipſo prædicato-
„ re contemnatur. „

S. Iſidorus Peluſiota omnium frequentiſſimus in hoc argumento *Libr.* 3. *Epiſt.* 120. prædicationem a vita diſcrepantem mera folia ſine fructibus appellat, eamque apud homines quidem ludibria, & ſannas, apud Deum nihil niſi condemnationem expectare poſſe. Illud autem non ſine admiratione legi, neque dubito pluribus fore paradoxum, quod *Libr. eod. Epiſt.* 39. deterioris exempli homines non ſolum a moralibus, quas dicunt, concionibus arceat, ſed a dogmaticis quoque, ubi fidei myſteria explicantur. At ratio ſplendida, & plauſibilis eſt. „ Impurum, inquit, ac ſcelera-
„ tum hominem nego non modo de fidei doctri-
„ na, ſed etiam de ulla re alia, os aperire debere,
„ quoad per ſinceram pœnitentiam animi maculas
„ abſterſerit. Nam cum peccatori dixerit Deus:
„ quare tu enarras juſtitias meas? multo magis certe
„ ei, qui animo ita conſtitutus eſt, ac fidei dogmata
„ perſcrutari non veretur, ſilentium indixit. Tanto
„ enim dogmata juſtificationibus ſublimiora ſunt,
„ quanto cœlum terra, & anima corpore. Quo-
„ circa cum vitæ integritas tibi deſit, de fidei
„ dogmatibus certamen inſtituere deſine, ne alio-
„ qui, ut dogma quoque ſuperetur, in cauſa ſis.
„ Solent enim complures ab eorum, qui loquuntur,
„ exiſtimatione de iis, quæ dicuntur, ſententiam
„ ferre. „ Id quod in moribus ſcilicet ob naturæ lumen non ita facile poteſt accidere. Neque his contentus Iſidorus, *Libr. eod. Epiſt.* 405. graviter etiam oſtendit, quomodo inde noſtra culpa ad blaſphemias, & impia verba fundenda non pauci incitentur.

Sed nihil pulcrius eo loco S. Proſperi, ſeu Juliani potius Pomerii, quem cum legerem, continere me non potui, quin reguſtarem identidem,

& vix non diſſuaviarem. Tantum & in ſenſibus ſucci, & in verbis copiæ ac gravitatis reſplendet. Ita enim *Libr.* 1. *de vita contempl. cap.* 17. „ Plus, „ ait, fideles Catholicos bonis exemplis, quam „ luculentis verbis ſolere proficere, eamque eſſe „ ſummam, perfectamque doctrinam, quam con„ verſatio ſpiritualis oſtenderit, non quam inanis „ ſermo jactavit, nec a nobis in die judicii verba „ quærenda, ſed opera, nec facile perſuaderi „ eſſe poſſibile, quod docet lingua, ſi a lingua „ vita diſſentiat. Illud autem probare poſſibile „ eſt, quod ſive prædices, ſive non prædi„ ces, faciendo confirmas, & imitari volentibus „ cum quadam delectatione ipſius poſſibilitatis „ inculcas. „ Videri etiam poſſunt ejusdem præclari ſane loci *Libr.* 3. *de vita contempl. cap.* 14. & *Libr.* 1. *cap.* 15.

Ferrandi quoque Diaconi in *Parænetica* quam breve, tam egregium effatum eſt: „ Virtus pri„ ma eſt bene vivere, ſecunda recta docere. „

S. Gregorius Magnus *L.* 27. *Moral. cap.* 27. ait, Prædicatores mali exempli fieri ſuæ nequitiæ præcones. Et *Hom.* 9. *in Ezechiel. poſt medium.* „ Omnis, inquit, qui recta prædicat, ſi auditur, „ iram irritati creatoris ſuper prævaricatorem po„ pulum placat. Unde neceſſe eſt, ut ipſe non „ debeat agere malum, quod ſolet in populo fu„ rorem conditoris ſui irritare. Propter quod „ etiam ſubditur: Tu autem fili hominis! audi „ quæcunque loquor ad te, & noli eſſe exaſperans, „ ſicut domus Iſraël exaſperans eſt, id eſt, mala, „ quæ fieri conſpicis, ipſe non facias, nec hoc, „ quod prohibere niteris, ipſe committas. Omnis „ enim prædicator intenta ſemper debet mente „ penſare, ne qui miſſus eſt lapſos erigere, ipſe „ in pravitate operis cum lapſis cadat, & Pauli „ hunc ſententia feriat dicentis: in quo alterum „ judi-

„ judicas, te ipſum condemnas &c. „ Ubi etiam Balaamo, quod ipſi ante monebamus, pulcre hominem talem comparat. Neque illud eſt omittendum, quod *Hom.* 12. *in Evangelia* pronuntiat: *Cujus vita deſpicitur, reſtat, ut & prædicatio contemnatur.*

Addamus antiquis Patribus recentiorem, ut ſic dicam, S. Laurentium Juſtinianum, qui in ſcribendo non ſolum imitatus eſt Patres, ſed plurima ex eorum fontibus in areolas ſuas derivavit. Hic itaque in *Faſcic. Amor. cap.* 2. Verborum exhortationem ſine exempli adjutorio aures, ait, complere clamoribus, & jejunam relinquere mentem. *Libr. vero de compunct. & complanct. Chriſt. perfect. part.* 2. de vita liberrima ſui temporis Paſtorum agens ita denique in eos inſurgit: „ Qua fronte, „ oro, redarguere tales poſſunt delicta populorum, „ quomodo errantes ad ſemitas juſtitiæ revocare „ ſufficiunt? negligentes ſalutem propriam qualiter ſuper aliorum ſalute vigilabunt? alteri vix „ bonus eſſe valet, qui ſibi nequam eſt. Corrigat ſua, qui proximorum cupit errata corrigere. „ Iſti autem, de quibus loquimur, parum de ſe, „ minusque curant de ceteris. „

E contrario Patres in exemplo prædicatoris plurimum profecto ſpei, atque uberrimi fructus expectationem concipiunt. Dicunt enim omnes, eam illius vim, & efficaciam eſſe, ut propriam ſibi eloquentiam habeat, illa longe præſtantiorem, quæ ex Rhetorum præceptis, atque obſervationibus exiſtit, & ex qua orationi ipſi pondus ſane præcipuum accedat. Id quod uti præterire nefas eſt, ita quando alias paulo longius progreſſi jam ſumus, pauciſſimis adhuc mihi hoc loco eſt oſtendendum.

S. Gregorius Nazianz. in *Epitaphio metrico S. Baſilii* cum commotiones eo prædicante factas commendare vellet, orationem Baſilii ait tonitruum

fuiſſe,

fuiſſe, vitam fulgur. Quaſi diceret, uti nihil ſplendet magis, atque coruſcat, quam fulgur, ita ille vitæ claritate omnium oculos perſtrinxit; unde non mirum, ſi verba ejus inſtar tonitrui, quod maxime exauditur, & omnia concutit, ingentes in auditore motus effecerunt.

S. Chryſoſtomus *Hom.* 15. *in Matth.* affirmat, documenta operum omni tuba ſonare clarius, vitam vero mundam præ ipſa luce fulgere, nec innumeris oblocutionibus obſcurari poſſe. Et *Hom.* 1. *in Acta ante medium* de Apoſtolis ita pronuntiat: *Prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis: quin potius ne verbis quidem erat opus, cum clamarent opera.*

S. Auguſtinus *Libr.* 4. *de doctr. Chriſtian. cap.* 27. „ Habet, inquit, ut obedienter audiatur, quantacunque granditate dictionis majus pondus vita „ dicentis. „

S. Iſidorus Peluſiota *Libr.* 2. *Epiſt.* 251. præterquam, quod Magiſtrum ſecutus fuſe demonſtrat, Apoſtolos plus exemplis, quam prædicatione, atque adeo ipſis miraculis mundum hunc convertiſſe: non uno loco, nominatim *Libr.* 3. *Epiſt.* 202. monet, facere, quod dicas, non eſſe ſolum ſermone usque ad aurem graſſari, ſed quod is ab actione animatus ſit, atque ideo acris, & efficax alte penetrare, animumque attingere, & ad cor loqui.

S. Leo Magnus, „ Facilis, inquit, ad exhor„ tandum ſit oratio, efficax ad ſuadendum: vali„ diora tamen ſunt exempla, quam verba, & ple„ nius eſt opere docere, quam voce. „ *Serm. in Feſtum S. Laurentii.*

Julianus Pomerius exemplo ſacri Oratoris tantum efficaciæ tribuit *Libr.* 1. *de vit. contempl. cap.* 23. ut dicat, exemplum ſolum ſæpe ſufficere, & perſuadere absque omni prorſus eloquentia, & ſermone.

S. Gre-

S. Gregorius Magnus *Libr.* 25. *Moral. cap.* 11. „ Cum imperio, ait, docetur, quod prius agitur, „ quam dicatur. „ Et iterum *P.* 2. *Paſtoralis curæ cap.* 3. de boni exempli concionatore præclare aſſerit: „ Dum loquendo imperat, oſtendendo ad- „ juvat, ut fiat. „

Hanc porro materiam ideo plenius, accuratiusque deducendam putavi, ut oſtenderem Oratoribus modernis, quam parum faciles lapſibus noſtris ſe Patres præbuerint, quodque facilius multo vitia quæcunque orationis, quam vitæ condonarint. Utinam ergo omnes, quotquot ad hanc provinciam accedunt, diſcant ſimul facere & docere, ardere & lucere, potentes eſſe opere & ſermone, ne ſcilicet quod ædificant una manu, altera deſtruant iterum, & penitus evertant. Enimvero (durum eſt, quod dicam, nec tacendum tamen) ſi ſui rationem habere quidam nolunt, at vulgi ſaltem habeant, quod ſuſpicioſum eſt natura, maledicum, procax, & quod illos quoque, qui ſermonum cauſam non præbent, dentibus arripit, & pedibus trahit. Tenuiſſima apud alios vitia, & quæ oculos pene effugiant, grandia in nobis apparent. Colloquia, & viſitationes fœminarum officii genus putant ſæculares homines: at ubi a nobis hæc fiunt, abſint mala omnia, ſuſpiciones nunquam aberunt. Certe non amatores ſolum earum attentos habebimus, ſed ceteros quoque omnes offendemus. Idem judicium de iis eſt, qui convivia accedunt, & congreſſus amant, aut ſermones ferunt, quibus pluſculum tribuere ſibi videri poſſint. *Facile contemnitur Clericus*, ait S. Hieronymus *Epiſt.* 2. *ad Nepotian. cap.* 18. *qui ſæpe vocatus ad prandium, non recuſat.* Idem *ibid.* de acceptatione munerum monet: *Nunquam petentes, raro accipiamus rogati; beatius enim eſt, magis dare, quam accipere. Neſcio enim, quomodo etiam ipſe,*

ipſe, qui deprecatur, ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat: & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plùs te poſterius veneratur. Exoſi quoque vehementer Patribus ii fuerunt, qui cum militare ſe Deo dicunt, implicant ſe negotiis ſæcularibus, & turbarum illarum fluctibus, a quibus extrahere alios oportebat, ipſi ſe immergunt. *Prædicator continentiæ*, ait rurſum Hieronymus, *nuptias ne conciliet. Qui Apoſtolum legit dicentem, ſupereſt, ut qui habent uxores ſic ſint, quaſi non habeant, cur virginem cogit, ut nubat? qui de monogamia ſacerdos eſt, quare viduam hortatur, ut digama ſit? Ibidem.* Quid vero de illis dicam, qui cum his quidem ſe minime immiſceant, eo ardentiores ſunt in oeconomiæ ſtudio, & alienis facultatibus adminiſtrandis? Juvat rei abſurditatem iterum ex eodem Hieronymo *ibid. cap.* 19. audire: *Procuratores, & diſpenſatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias jubenter contemnere facultates?* Quin & publicum, quantum fieri poſſit, vitari volunt. *Raro* (Eccleſiæ Doctor) ait Gregorius, *ſit in publico, frequens in ſecreto.* * Si enim Philoſopho præſertim novo turbam vitandam vult Seneca, ut cui nondum ſe tuto committeret: ſi ipſe fatetur imbecillitatem ſuam, & nunquam ait ſe mores referre, quos extuliſſet: ſi neminem monet eſſe, qui non aliquod vitium nobis aut commendet, aut imprimat, aut neſcientibus allinat: quanto magis ſolicitos fuiſſe Patres oportet. ** Certe qui ceteris leniores ſunt, illud dari ſibi omnes volunt, experientiam ipſam appellantes, crebris ſalutationibus, officiis, & procurationibus ſacerdotum nunquam tantum proficere externos homines, quantum

* *Libro IV. Expoſit in* 1. *Regum cap.* 9.
** *Epiſtola* 7.

tum nos temporis, atque etiam ſpiritus deperdamus. Nempe non ita ſicut in propriis vitiis cæci ſunt homines, ut non videant, quid Oratorem ſacrum deceat, quid non. Imo vel talpæ ceteris in rebus, hic oculatiſſimi ſunt, & quos virtutes oratoris ſui latent, vitia ejus omnia noverunt. Cognitæ ipſis cænæ, familiaritates, ludi, oblectamenta, ſomnus, itinera, quin ſæpe ſpecies ipſa & ſuppellex cubiculi. Ubique obtrectatores habemus, nec quidquam ridiculum magis videtur hodie, quam ſi menſarum aſſeclæ, aucupes novitatum, & nobilium ſtipatores cenſores agere velint morum alienorum. Sed abrumpenda jam hæc tela eſt, ne nimium excurrat. Qui plura cupit de cura exempli, quam Patres tantam oſtenderunt, adeat, præter *Locos noſtros Communes* de *Exemplo*, Chryſoſtomum *Homil. de Virtutib. & vitiis. Hom.* 1. *in Acta.* Item *Homil.* 6. *in ad Roman. in Morali*, & alias ſæpe. Hieronymum *Epiſt.* 83. *ad Oceanum* ad illud Apoſtoli: *Sine crimine.* Rurſum *Epiſt.* 128. *ad Fabiolam.* Item *Commentario in* 3. *caput Sophoniæ* ad verba: *Prophetæ ejus portantes Spiritum.* Creditum Auguſtinum *Serm.* 1. *in Appendice veteri, in novo* 268. ubi egregie ex obligatione, quam auditor habet, ut faciat, quod audit, eruit obligationem, quam prædicator non minorem habet, ut faciat, quod dicit. Item verum Auguſtinum *Libr.* 4. *de doctr. chriſtian. cap.* 27. 28. 29. S. Iſidorum Peluſiotam *Libr.* 2. *Epiſt.* 180. 183. 275. *& pluribus aliis Libr.* 5. tam pulcre, quam frequenter in hoc argumento verſatum. Caſſianum *Collat.* 14. *cap.* 10. *&* 16. *& Collat.* 11. *cap.* 4. S. Gregorium cum alias, tum *L.* 11. *Moral. cap.* 9. Bernardum *Epiſt.* 201. ad Balduinum Abbat. ubi præclare ſermoni exemplum, & orationem jungi vult. Addo pro coronide factum Origenis, amœnum illud maxime, & quod mores habeat. Doctor

hic

hic præſtantiſſimus, poſtquam Alexandriæ thus idolis adoleverat, a confeſſoribus, & martyribus rejectus, atqua ab Eccleſia expulſus, quod pudori ferendo non erat, in Palæſtinam ſeceſſit, atque inde pietatis cauſa Hieroſolymam eſt profectus. Ibi pro fama, quæ de libris ejus ſumma erat, rogatus a ſacerdotum collegio, ab aliis vero vi propemodum impulſus, uti verba ad populum faceret, in pedes denique conſurrexit, poſtulatoque Libro divino Pſalmum 49. allegans, omiſſis reliquis verſibus illum recitavit: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Ad quæ verba complicatum continuo librum reſtituit, gemensque, & lacrimans reſedit, flentibus cum eo, qui aderant, univerſis, uti S. Epiphanius *hæreſi* 64. *paulo poſt initium*, Nemeſius *cap.* 20. Leontius Bizantinus, & Juſtinianus Imperator *adverſus Origenis errores* narrant. *

§. VI.

Diſcrimen Eloquentiæ Patrum, & Oratorum ſæcularium ex effectibus, quos producunt.

58. Nullibi profecto diſcrimen inter ſcholarum, templorumque eloquentiam luculentius, quam ex effectibus elucet. Quod utrique nimirum tales ſunt, ut nec comparationem quidem aliquam admittere videantur. Da mihi præcipuos ſæculi Oratores, Latinos, Græcosve, nihil attinet: ipſum huc, ſi ita placet, Demoſthenem, Ciceronem ipſum adducito. Quid ille tandem *contra Tutores*, *contra Philippum*, quid pro *corona* a Cteſiphonte decreta obtinuit? quid alter *contra Verrem*, *Antonium*, *Catilinam*

* Quæ ſpeciatim boni, malive exempli eſſe in prædicatore poſſint docet Ambroſius in *Libris Officiorum.* Et Hieron. *Epiſt. laudata ad Nepotianum.*

linam, Clodium, quid pro *Milone*, pro *Manilia Lege*, pro *domo* adeo *ſua* evicit, ſi cum divini verbi effectibus conferre ea cœperis, atque a foro, & roſtris illorum ad ſuggeſtus noſtros tranſire? perpende mihi nunc pauliſper concurſus illos innumerabilium hominum, pendentes ab unius ore omnes Ordines, comploratus & agmina pœnitentium, ſubitasque & conſtantes mutationes hominum perditorum! cogita divinum verbum, inſtrumentum ſalutis noſtræ tam efficax, quam venerandum, vocem illam dominatricem, ad cujus ſonitum exauditum ponunt fluctus perturbationum, & omnis undarum ſævientium fragor conticeſcit: gladium illum contuere ex utraque parte acutum, qui ipſos animos pervadit, hominemque non a ſuis ſolum ſeparat, ſed a ſe ipſo diffindit. Reſpice lucem illam ſupernam, ad cujus illapſum nubes præjudiciorum diſparuerunt, & errorum tenebræ diſſipatæ ſunt: fulmen illud attende, quod cœlo excuſſum ſuperbas Cedros dejecit, ipſasque rupes induratas loco movit, atque perfregit: ignem illum ſacrum conſidera, qui vix injectus animis frigus diſſolvit, ſiccavit ſordes ſcelerum, impietatis monumenta evertit, conflavit denique, & immutavit orbem univerſum. Hæc ſane, neque alia eloquentia eſt, quæ mundi Sapientes turbavit, confutavit Doctores, Tyrannos compreſſit, & exarmavit. Hæc ab antiquiſſima poſſeſſione pepulit Dæmones, hæc amiciſſimis vitiis extirpatis virtutes inſevit, a quibus natura, & inſtitutione quam maxime mortales abhorrebant. Hæc regna vaſtiſſima ſine ferro, & armis, ſine pecunia, ſine artibus & ſcientiis, ſine celebritate nominis, ſine ullo alio præſidio, tam obſcuræ, tam novæ, & quod caput eſt, ſenſibus & rationi tam inimicæ legi ita ſubjugavit, ut ſanguine eam defenderent, ferrum ejus cauſa, & ignes provocarent, ante vitam, quam profeſſionem ejus

poſituri. Nempe ſi veritates ejusmodi per ſe efficaciam longe aliam habent, & profundius multo deſcendunt in animum, ubi auctoritate divina quaſi veſtiuntur, ſi quilibet naturali inſtinctu, ubi imaginem divinitatis animo concipit, profundiſſimam pariter reverentiam in corde perſentiſcat, neceſſe eſt: quantum rogo ponderis, quantum efficaciæ popularis eloquentia, gratiæque, præter naturam & ordinem collatæ, auxilia ſuperaddent? Sed nondum omnia diximus. Superi! quæ mundi facies, qui mores hominum (ſi tamen homines, & non bruta potius appellandi ſunt) ante Evangelii prædicationem fuere? aut oculum ſaltem, quod propius nobis exemplum eſt, ad orbem novum, ad Americæ vaſtiſſimas regiones, ad tot Indorum regna in ultimam Aſiam exporrecta converte. Prô qualis hic, & quam immenſus mihi campus aperitur! quot ibi milliones hominum Patrum noſtrorum ætate converſi, quot efferati paſtique ſuorum ſanguine barbari ad humanitatem, ad honeſtatem, ad ſanctitatem adeo traducti? vix inſonuerant voces oratorum noſtrorum, cum beſtiæ regionum illarum virulentæ & immanes, velut incantatæ & cicuratæ, vomuerunt illico exitiale virus, omnemque ad eorum pedes exuerunt feritatem. Ipſa varietas, claritas, & magnitudo rerum, quæ velificari aliis ſolent, obſiſtunt mihi, vetant progredi, & in medio curſu ſufflaminant orationem.

59. Quid vero ſi rurſum Athanaſios illos, Ambroſios, Chryſoſtomos, atque ex poſterioribus Bernardos etiam, Antonios, Vincentios, Bernardinos, Xaverios in medium producam? quid ſi jam aliquorum cum Auguſtis certamina certata, jam jugulatas hæreſes, jam pacata Imperia, jam orbem totum, cum in partes iret, conſociatum denuo, jam alias pro reſtituendis moribus, avitaque

que Religione congreſſiones, ac triumphos retractem? Tonant Regum imperia, circumſiſtunt ſatellites, & turbæ aſſentatorum ad omnem audaciam projecti, conjurant magnates, inſurgunt fœminæ, quibus ad modum malitiæ commenſa poteſtas eſt, ac velut in circo frementes belluæ comparent. Sed & compedes ſonant, & indicuntur exilia, & fulgurantes gladii ſtringuntur in unum hominem. Inter fremitus infidelium, & hæreticorum, inter expeditas, cruentasque ſecures, in media pompa arrogantiæ, & crudelitatis, ubi ſingula vel intercludere vocem, vel exanimare ipſum oratorem debent, dicendum eſt, actionesque quam periculoſæ, tam liberæ, ardentes, incitatæ inſtituendæ ſunt. Et quo demum exitu putas? nullo alio, niſi qui ſacræ eloquentiæ virtutem magis declararet. Vicit illa ubique, & de ſæculi cupiditatibus terroribusque univerſis triumphavit. Homines inermes, pannoſi, & infima de plebe Monachorum regna vaſtiſſima non tam paſſibus obibant, quam victoriis ſignabant. Ad eorum adventum excitæ ſedibus ſuis urbes, ad conciones vero concurſus, gratulationes, & motus tanti, ut ſi vel Principes in unum locum omnes convenirent hodie, vel cœleſtis aliquis genius videntibus cunctis in terras deſcenderet, non eſſent plus venerationis, admirationis, & auctoritatis habituri. Mira res! diſertiſſimi Philoſophorum paucos admodum nacti ſunt ſectatores, & verba eorum plauſibus abſumpta, cum ſonitu ipſo pertranſierunt. Quod ſi movent interdum ſcripta eorum, non durat ſenſus animi, uti Auguſtino accidit, fortiſſime licet ex Ciceronis Hortenſio affectus fuiſſet. * Quid quod celeberrimi quoque Victores fruſtra laborarunt, ut eadem victis omnibus jura ſtatuerent: & Legisla-

* *Libr. 3. Confeſſ. cap. 4.*

torum præcipui vix uni Civitati mores, & inſtituta ſua perſuaſerunt: & ipſi Reges non potuerunt efficere, ut viventibus ipſis valerent ubique imperia ſua, obſervarenturque a ſubditis. Soli Patres eloquentia ſua id a maximis, & diverſiſſimis nationibus obtinuerunt. Valent enim eorum ſententiæ, leges, documenta in hodiernum diem, ratæ apud omnes manent, & effectus eosdem, ac fructus ubique terrarum producunt. Vicerunt tot ætates, & neque contrariis legibus, neque argutiis, neque opibus, neque armis totius mundi aboleri hactenus potuerunt. *

60. Sed quoniam collatio ſingularium rerum inſtituta quam maxime ſolet cauſam aliquam illuſtrare, age, quod magnificentiſſimum eloquentia profana ſpectaculum habet, M. T. Ciceronis exilium, & reditum ex eo cum altero, eoque duplici Joannis Chryſoſtomi conferamus. Patebit exinde, & quanti utraque eloquentia fieret, & quod ſacræ efficacia, atque effectus illis, quos externa habet, nihilominus ſint multo potiores. Non ergo me latet triumphus ille Tullii, quem Orator maximus immortalem habuit ad memoriam poſterorum. Accuſatus enim a Publio Clodio ſceleratiſſimo mortalium, & artibus ejus eo adductus, ut ſolum vertere cogeretur, vidit ob rei indignitatem Equitum Romanorum viginti millia veſtem mutare, & ſupplices inter gemitus & lacrimas accidere ad pedes Magiſtratuum. Vidit Civium, & accolarum incredibilem multitudinem in Capitolium con-

* Cur morum præcepta a Platone, Epicteto, Cicerone, Seneca, Plutarcho aliisque tam ornate ſcripta, minus tamen poſſint in animos, minime mirum eſt. Superno lumine deſtituti nec reſpicere ad æternam rationem, nec myſteria Religionis ad Juſtitiam, & ſalutem neceſſaria agnoſcere potuerunt. Videatur Domini du Bois: *Præface des Offices de Ciceron.*

convenire, qui & ipſi non veſtem tantum mutandam, ſed eo tempore, quo publicis ducibus Reſpublica careret, privato etiam conſilio defendendum ipſum omni ratione ſtatuerunt. Grande enimvero hoc, & quo majus dici vix quidquam poſſe videatur. *Quid enim*, ut ipſius Tullii verbis dicam, *quid quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quam pro uno cive & bonos omnes privato conſenſu, & univerſum Senatum publico conſilio mutaſſe veſtem?* Sic enim palam profitebantur, fortunam ejus cum Reipublicæ fortuna conjunctam ita eſſe, uti magis non poſſet, eoque exulante, etiam qui in patria remanerent, omnes exulare.

Sed non minus memorabile, quod imperium ipſum ejus cauſa turbatum ſit totum pluribus menſibus, quod negotia ſuſpenderentur, nihil judices ſententiis, nihil populus ſuffragiis, nihil Ordo ampliſſimus Senatorum auctoritate declararet, nihil Civibus, nihil Sociis, nihil Principibus reſponderetur: Rex vero Ptolomeus, qui & ipſe Egypto pulſus, exul Romam venerat, nec audientiam quidem impetraret: mutum forum, elinguis curia, tacita, & fracta civitas videretur; quaſi ſine eo imperium ſtare non poſſet, ſed quaſi ſubducta columna primaria collapſum ex parte jam eſſet, aut ruinam certe minitaretur. Ergo literis conſularibus cuncta ex Italia omnes, qui Rempublicam ſalvam vellent, ad Tullium reſtituendum, & defendendum convocantur. Cui Senatusconſulto plauſus confeſtim eſt ab univerſis datus, ita ut ſtantes, & manibus paſſis gratias agentes, & lacrimantes ſuam erga exulem benevolentiam cives declamarent, in ſpectaculis publicis repeterent plauſus, & perficiendæ rei deſideria oſtenderent. Itaque cum homines innumerabiles Romam, & pene Italia ipſa veniſſet, & inter gratulationes, actionesque gratiarum, omnium Ordinum Senatus in

Capitolium convocatus eſſet, revocandum omnes cenſebant, plerique vero ejus conſiliis Rempublicam ſervatam, unamque ejus & ſalutis ſuæ cauſam eſſe vociferabantur. Grates dein actæ publicæ omnibus urbibus exteris, ſociis populi Romani, decretumque, ut qui provincias cum imperio obtinerent, qui quæſtores, legatique eſſent, ſalutem, & vitam ejus cuſtodirent. Augebatur interea in dies numerus eorum, qui ex omni Italia in urbem venerant, nec civis fuit, qui non nefas eſſe putaret, quacunque aut ætate, aut valetudine eſſet, non ſe de ſalute Tullii ſententiam ferre. Denique in campo Martio, cum omnes Magiſtratus promulgaſſent comitia centuriata, quæ maxime libera, & ſolennis, & antiqua judicii forma eſt, & quibus nunquam tanta, tamque ſplendida multitudo convenerat, unanimi conſenſu, & lætitiæ ſignificatione ſumma reſtitutio ejus imperata. Quo facto reditus ipſe is fuit, ut a Brunduſio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ conſpiceretur. Neque enim regio fuit ulla, neque præfectura, neque municipium, neque colonia, ex qua non publice ad ipſum venerint gratulatum. Quid dicam adventus ejus? quid effuſiones hominum ex oppidis? quem concurſum ex agris patrumfamilias cum conjugibus, ac liberis? itinere toto urbes Italiæ feſtos dies agere, comparente eo, videbantur. Viæ multitudine legatorum undique miſſorum celebrabantur, & quemadmodum ipſe dixit, Italia cuncta pene ſuis eum humeris reportavit. Certe unus ille dies ipſi quidem inſtar immortalitatis fuit, cum Senatum egreſſum videret, populumque Romanum univerſum, cum ei ipſa Roma prope convulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſervatorem ſuum procedere viſa eſt, & a porta in Capitolium, a Capitolio domum deducere. Verbo, triumphos ſummorum Imperatorum ſupera-

ſuperavit ingreſſus Ciceronis, & talia omnium Ordinum ſtudia expertus eſt, ut ei ærumna præterita non modo non propulſanda, ſed etiam emenda fuiſſe videatur.

Ut autem hæc omnia concedam, & admiranda ſummopere ipſe exiſtimem, majus tamen aliquid, & multo auguſtius in exilio Joannis Chryſoſtomi reperio, qui ipſe quoque artibus æmulorum, & impotentis fœminæ dominatu depoſitus eſt altera vice, atque in exilium deportatus. Audita ſub veſperum ſententia, quaſi de adventu hoſtium, vel proditione civitatis nuntiatum eſſet, lamentis, atque ploratu omnia perſonabant. Effuſi dein ex ædibus cives tota nocte excubarunt, & circumdantes Eccleſiam immenſo agmine, vociferatione perpetua conteſtati ſunt, vivere ſe non poſſe ſine patre ſuo, aut ejus injuriam aliquam diſſimulare. Appellabant etiam generale Concilium, & nihil Auguſtos, nihil Magiſtratus, nihil milites veriti, plures continenter dies vim expectabant, parati repellere, ut primum illata eſſet. Nihil autem flectere eos, nihil abſterrere potuit, & nec ipſa temporis diuturnitate ſtudia refrixerunt. Itaque Chryſoſtomus, ut parceret ſanguini, & ſchisma præverteret, clam omnibus, cum plerique ad corpus curandum dilapſi eſſent, ultro Præfectis ſtitit ſeſe, & per tenebras ad navim deductus eſt.

Omnium coronam, ſalutem, & vitam exportatam diceres. Quid non tentatum placando populo? pollicitationes, & blandimenta adhibita, producti diſertiſſimi Præſules, qui rei invidiam lenirent; ſed incaſſum. Ardorem enim animorum adeo non reſtinxerunt, ut augerent magis. Porro alii forum & templa inſidebant, alii ad ipſum palatium progreſſi cum ululatu, & lacrimis reddi ſibi patrem poſtulabant. Quo minus ad ultima venirent, & miſcerent omnia, nemini præterquam

N 4 ipſi

ipſi Joanni tribuendum. Hic enim antea, quam abiret ita occupaverat animos, atque tractaverat, ut temperarent ſibi magnopere, nec tam armis, quam precibus agerent, mallentque vim lacrimarum, quam ſanguinem profundere. In his autem fluctibus, & conſternatione extrema civitatis cum plebs inſtaret revocandæ ſententiæ, & maxime animi moti eſſent, ſubito terra quoque movit, vi tanta, ac fragore, ut non agitari, ſed everti omnia viderentur. Auguſtam quoque terror neſcio quis, certe ingens, & inſolitus invaſit, quæ luce nondum exorta legatis ad exulem miſſis rogavit miſeris precibus, ac luctuoſis, uti rediret quamprimum, urbemque periculo liberaret. Vix illi abierant, cum ſecundi, poſt hos tertii, atque ita alii ex aliis venerunt tantá trepidatione, ut impedimento ſibi eſſent, & turbarent potius negotium, quam feſtinarent. Cunctabatur merito Chryſoſtomus, latasque in ſe Antiſtitum ſententias abrogari prius cupiebat: quo factum, ut quidam rem trahi minime ferentes, proruerent ad arma, & ad necem omnes quærerent, quotquot injuriæ cauſam dediſſent. Dedi autem ſibi eos ſine mora volebant, in mare mergendos. Jamque cæſis aliis, aliis vulneratis, medio tumultu & duces ſceleris elapſos cognitum eſt, & Chryſoſtomum adventare. Ad primum nuntium feſtivi ignes arſerunt, & dati plauſus, & compulſatæ campanæ, & oſtium Propontidis navigiis totum obtectum. Ita autem coorti omnes Ordines ſunt, ut urbs alio transferri videretur, quodque ipſe Chryſoſtomus teſtatur *, hominis unius cauſa pelagus in civitatem mutatum ſit. Senes etiam, & pueri ad litus procurrere, ſpretisque fluctibus ita comprimere ſe, ut periculum quamplurimi adirent. Solitudo erat in urbe maxi-

* *Homil. poſt reditum.*

maxima, de cœna nemo cogitabat, & ne ſervi quidem, ac mulieres, quæ infantulos lactabant, domi jam poterant contineri. Ubi vero exſcenſionem exul fecit, ea commotio, ii concentus, ſonitusque tubarum, & exclamationes extiterunt ut flerent præ nimio gaudio magna pars, & hunc fauſtiſſimum vitæ ſuæ, & jucundiſſimum diem appellarent. Ergo Chryſoſtomus ab Optimate, qui Cæſaris amicitiam, & Eudoxiæ blanditias omnes muliebres nuntiabat, manu exceptus, & turba legatorum, triginta Epiſcopis, omnique clero circumfuſus, cum faces univerſi, qui aderant, præferrent, reductus eſt ad Eccleſiam, & in ſolio ſuo repoſitus. Ubi bene precatus populo ſui tam amanti, ex tempore verba fecit in rem præſentem; verum vox ejus rurſum percepta tantis plauſibus, & lætitiæ ſignificationibus interpellata eſt, ut vix a proximis exaudiretur, atque ideo ſermo abrumpi medius deberet.

Ad alterum exilium, cum inſciis omnibus abſtractus eſſet, procurrentes ad mare turbæ innumerabiles, ubi portum copiis obſeptum, navim vero ſumma celeritate vela facientem, fluctusque ſecantem viderunt, velut re deſperata orbitatem ſuam lamentati ſunt, fuitque illud ſane miſerabile, cum reſpicerent eum tamdiu madentibus oculis, donec a conſpectu penitus ablatus eſſet: tum vero ægerrime domum repeterent eo luctu, & mœrore, quem nemo hominum vel vidit unquam, vel accepit. Diceres cum migrante illo omnes urbe, imo vita migratuos, & ſine Joanne ipſam patriam pro exilio habere. * Sed etſi per ſubitam violentiam minus reſiſti potuit a populo, vehementius tamen eſt aliunde repugnatum. Nam ignis cœlitus immiſſus Eccleſiam corripuit, quo & ipſa am-

* Vide S. Joan. Damaſcen. *Orat. in S. Joan. Chryſoſt.*

buſta eſt, & curia conflagravit univerſa, damno inæſtimabili. Certe cives propter operis pretium, & magnificentiam lacrimis, ſi licuiſſet, incendium reſtincturi erant. Sed & Hunni trajecto Iſtro Thraciam vaſtarunt, & Iſauri, quidquid Cariam, & Phænicen interjacet, populati ſunt. Acceſſerunt motus Stiliconis, & Alarici Gothi, utrique Imperio fatales. Grando quoque Conſtantinopoli & in Suburbanis torrentis in modum excuſſus, neſcio an damno, an terrore majori. Denique Auguſta quarto poſt die in flore ætatis ex abortu deceſſit: Cyrinus vero Chalcedonenſis Epiſcopus, præ ceteris Joanni infeſtus, ſub idem tempus altero crure exſecto a Medicis miſerabili exitu interiit. At ne ſic quidem ſatis dimicatum pro exule. Nam & Nilus & Iſidorus Peluſiota, & alii, qui tum præ ceteris ſanctitatis opinione florebant, & Innocentius Papa, & Honorius Imperator Occidentis, aperte atque ingenti libertate partes Joannis amplexi ſunt, & ad reſtituendum eum totus fere Occidens commotus. Sed quod omnium eſt magnificentiſſimum, & ſummam habet admirationem, ipſe Chryſoſtomus tantam fortitudinem, patientiam, & conſtantiam tantam oſtendit, quam geſta, ſcriptaque declarant, & quam præter ipſummet exponere pro dignitate profecto nemo poſſit. Cum vero mortem ex tot ærumnis obiiſſet, ejus cauſa Eccleſiæ in partes diſtractæ ſunt fere omnes, & pluribus annis non ante coaluerunt, dum nomen Joannis Diptychis reſtitutum, & Sanctis adſcriptum, exuviæ vero grandis animi immenſis itineribus in urbem regiam reportatæ, atque inter Apoſtolorum thecas repoſitæ eſſent. Quod qua pompa, & celebritate ſit factum, ex eo licet æſtimare, quod hic triumphus priori illi multum præcelleret. Nihil toto orbe ſol vidit illuſtrius, eritque iſtuc victricis eloquentiæ perpetuum monumentum. Quæ tum

facies,

facies, vociferatio, quis ſplendor, quæ pompa tantæ urbis, non capientis ſeſe præ lætitia; quando ægri quoque in lectulis deduci ad ſpectaculum volebant? Bosphorus, & Propontis multitudine facum ardere viſi. Mox Theodoſius & ſoror Augusta, aulaque univerſa acceſſerunt. Inter naves corona Procerum ornatas ipſe Cæſar ſacrum corpus in prætoriam recepit, ipſe remum impulit, atque ad littus curru triumphali exceptum populis demonſtravit. Extinctus quidem ardor oculorum, attrita frons, nulla in aureo ore lingua perſonabat: quacunque tamen illatum eſſet, omnes magnis vocibus exclamare, omnes certare officiis, ſpargere flores, modulari carmina, odores accendere. Atque ita ingenti agmine proceſſum in urbem, demum in Eccleſiam, quo ſecutus pientiſſimus Imperator, abjecto ad pedes diademate veneratus eſt oſſa publice, & veniam parentibus inter lacrimas exoravit. Atque ab hoc tempore immenſum Sancti opinio crevit; nam & *Chryſoſtomus* ſæculorum ſuffragio ſalutatus eſt, & primi inter Patres nominis miraculo eſt omnibus, omnium laudibus fertur. Neque licet dubitare, quin eadem potentia, qua olim ad homines dixerat, apud Deum hodieque agat Oratorem.

His perpenſis nemo eſt, opinor, qui non pro Chryſoſtomo magis, quam Cicerone pronuntiet. Ut enim de conſtantia nihil dicam, quæ durante tota cauſa in illo ſumma, in hoc nulla fuit *, Cicero vim, & inſidias veritus, vitæque metuens, cum lata necdum eſſet ſententia, urbe clam exceſſit: Chryſoſtomus malens ultima experiri, quam ſuorum

* *Confer hoc loco Chryſoſtomi Homil. cum de expulſione ejus ageretur, Epiſtolas item, & tot alia in exilio præſtantiſſime ſcripta cum literis, quas Cicero ad familiares dedit. Ex his patebit, quam ille fortiter, quam molliter iſte exilium ferret.*

ſuorum damno vincere, ultro ſe tradidit inimicis. Cicero eorum opera, qui retinere ipſum voluerant, poſt ſedecim menſes revocatus eſt: Chryſoſtomo, nec qui ejecerant, carere ultra unicum diem potuerunt. Ibi veſtes mutatæ: hic muſica ceſſavit, & campanæ ſiluerunt, & altaria ipſa ciliciis operta ſunt. Ibi finitum exilium, quod aliter Reſpublica pacari non poterat: hic reditus imperatus, quod Eccleſia tota diſtrahebatur. Ibi delectus comitiorum, & centuriarum habiti: hic Concilium generale omnium Epiſcoporum poſtulatum. Ibi pars melior urbis, hic præterea cœlum ipſum pugnavit. Ibi pro exule antea, quam abiret, ſupplices facti Senatores: hic poſt exilium Auguſti adeo ipſimet exuli ad pedes acciderunt.

61. Juvat hic reſpirare tantiſper, & mei loco Demoſthenem Italorum dicentem inducere. Panegyrico, quem Divo Antonio gravem ſcripſit, & luculentum, ita eloquentiam ſacram cum profana committit: * „ Quo concionatum Antonius ad„ venerat, non e pagis tantum, ſed urbibus quo„ que ita confluere omnes, ut ſolitudo fieret. „ Spatium non niſi patentes campi dabant, ibique „ ſuggeſtus erigebatur. Huc a media nocte iter „ aggreſſi populi, ne loco excluderentur, turmatim „ ex omni parte confluebant. Viam nobilioribus „ faces, plebi lucernæ monſtrabant. Tanta tamen „ omnium modeſtia erat, ut cum ſuam nocti quie„ tem tollerent, ſilentium tamen minime auffer„ rent.

* Malui hæc utcunque meis, quam ejus verbis reddere, cujus verſiorum præ manibus habeo. Neſcio enim, quomodo factum eſt, ut vir tantus non optimos Interpretes nanciſceretur. Sane is, qui QUADRAGESIMALE tranſtulit, ipſis hallucinationibus celebritatem invenit; qui vero PANEGYRES: numeros negligit nimium, & alias minime anxium ſe præbet, ac curioſum.

„ rent. Epiſcopi, & Ordines Eccleſiaſticorum, „ Præfecti & Magiſtratus velut ſupplici, & in- „ ſtructo agmine adventabant. Conticebant interea „ tribunalia, deſerta auditoria, officinæ clauſæ „ erant, haud ſecus atque anni ſolenniſſimis die- „ bus. Inde ad Concionem nunc decem, alias „ viginti, nec raro etiam triginta millium dictu- „ rus accedere Antonius, numeroſo milite cinctus, „ qui & eundem facto fine dicendi in tugurium „ reducebat. Neque enim aliter ſecurus ab eorum „ piis aſſultibus præſtari potuit, qui vel oſcula- „ turi ſacras veſtes, vel earum, ſi poſſent, par- „ ticulam decerpturi, certatim ſe comprimebant. „ Hortenſii! Tullii! Demoſthenes! ubi eſtis? „ eſtne veſtrum aliquis, qui jactare ſimiles applau- „ ſus jure poſſit? quid dicturi eratis vos, ſi de „ nocte delati forte in vaſtam illam planitiem „ fuiſſetis, ubi tot mortalium millia, ſummi & „ infimi, nobiles & plebei, docti & rudes, ora- „ toris adventum opperiebantur? quis iſte, atto- „ niti rogaſſetis, quis eſt, qui tantum valet voce „ ſua? longo uſu experti ſcimus, quantæ artes „ requirantur, ut vel modicam turbam attentam „ quis atque benevolam teneat. Quanto pluribus „ ergo opus eſt ad multitudinem locis tam diſſi- „ tis, numero tam denſo, conditione tam ſpectata, „ tempore tam importuno, loco tam incommodo „ attrahendam? hoc tamen, quidquid eſt, potuit „ Antonius. „

„ Non negaverim (pergit copia æquali, & „ magnificentia celeberrimus Orator) non nega- „ verim, Auditores! quin Deus præter ordinem „ tum quidem Antonio adeſſet. Nam duo illi „ privilegia prorſus ſingularia contulerat primum, „ ut ſubmiſſius etiam loquentem, quantumcunque „ diſtantes exaudirent: alterum, ut vernacula, uſus „ ab exteris quoque & vel maxime peregrinis in-

„ telli-

„ telligeretur. Verum id nihil Oratoris gloriam „ minuere, ſed augere potius videtur, quando „ ſcilicet ea erant ſenſa ejus, quæ digna haberen- „ tur, ut in eorum gratiam naturæ legibus de- „ rogaretur. Proponite jam vobis, quas ille in „ populo tam undanti, atque in ea opinione ſan- „ ctitatis, mutationes efficeret. Ipſum hic infer- „ num teſtem volo. Adſit! ſic enim lubet; quod „ laus nulla tanti ſit ponderis, quanti fremitus „ inimicorum. An non ille modis innumeris ſiſtere „ tam glorioſos conatus ſtuduit? quas non artes „ adhibuit? quem lapidem non movit? quas ma- „ chinas non oppoſuit? Fregit nonnunquam com- „ miſſuras tabulati, quod ſancto pro ſuggeſtu erat, „ ut clamorem, & tumultum ſuſcitaret. Dæmo- „ nes veredariorum habitu miſit, qui allatis faſci- „ bus literarum diſtraherent animos, & curas mo- „ verent. Nec iſtis contentus, alia vice metuen- „ dos in aëre turbines, tonitru, fulgure, gran- „ dine, & procella miſtos, collegit, ut vel ſic „ perterrefaceret, & diſſiparet Auditores. Quam- „ quam autem veriſſimum eſt, omnes has artes in „ vanum denique abiiſſe, cum deridens illas vir „ ſanctus, ruinas ſiſteret, detegeret fraudes, plu- „ vias ſuſpenderet: ipſo tamen ſtudio, quo orcus „ conventus hos diſturbatum ibat, quantopere eos „ formidaret, oſtendit. Et quid dubitemus Audi- „ tores? una ſola concione Antonius latrones „ infames viginti duos convertit. Neque hoc pa- „ rum ſit vobis. Si enim talium hominum pœni- „ tentiam tam difficilem S. Joannes Chryſoſtomus „ putavit, ut Chriſtus ipſe e duobus, ad quos e „ cruce dixit, unum duntaxat converteret, quam „ ſtupendum Antonii facinus eſt, viginti duos au- „ ditum veniſſe, & totidem plane alios inde re- „ ceſſiſſe? Sed quid viginti duos commemoro? „ Cum ætate ea nemora Italiæ omnia ejuſmodi

„ turbis

„ turbis perditorum habitarentur, certum eſt, longe „ plus momenti ad exterminandos eos vocem Antonii, quam Magiſtratuum arma habuiſſe. Haud „ ſecus nempe, quam ad exterrendos, fugandosque cervos, capras, apros, & urſos unus leonis rugitus horribilior magis valet, quam belli „ venatici univerſus apparatus. Sed neque hoc „ totum eſt. Illis ipſis temporibus cunctas fere „ urbes infeſtabant hæretici: liberavit eas Antonius. Templa irreverentiis profanata erant: ſanctitatem eis reddidit Antonius. Sacramenta frequentes abuſus contaminaverant: ſuſtulit eos „ Antonius. Deſerta ſtabant monaſteria: habitatores ſubmiſit Antonius. Atque ut generatim „ dicam, tantum ille populorum animis pœnitendi ardorem injecit, ut ſæpe non tantum *percutientes pectora ſua* (quod Judæi, cum e calvaria „ deſcenderent, fecerunt) ſed humeros quoque „ horrendum in modum catenis laniantes a concione *reverterentur*. Conſtantiſſima fama traditur, uſum diverberationum publicarum hodie „ tam frequentem ab Antonii auditoribus originem habere. Id quod profecto non leve argumentum eſt commotionis ejus, quam in orbe „ Antonius civiſſet, quando primus fuit, qui per „ vias publicas ſpontaneorum martyrum cruenta „ ſpectacula oculis objecit. Quid vero mirum, „ tanto cum ſtupore, & fructu auditum ab hominibus, ad quem audiendum vel beſtiæ nonnunquam velut anxiæ accurrerunt. An non meminiſtis, Auditores! diei illius feſtiviſſimi, qua hæretici quidam contumaces, ne potentibus Antonii „ argumentis dedere ſe cogerentur, id quod unum „ ſupererat, optimum factu duxerunt, ſi illa ne „ audirent quidem. Tum vero Antonius repulſarum ejuſmodi non aſſuetus, & plenus æſtu „ ad littus maris procurrit, atque elata voce o „ piſces!

„ piſces! exclamat, o piſces venite, & audite verbum illud divinum, cui qui aures non præbet, „ inſtar aſpidis obſurduerit, oportet. Videre hic „ fuit ad magnanimum imperium placidas ante, „ & tranquillas undas commoveri, atque criſpari, „ inde paulatim emergere, & aquis ſupernatare „ mirabili ordine omnes illos marinos greges, parvos æque, ac magnos, in turmas ſui quemque „ generis diviſos, & longo littoris tractu amplam, „ attentamque concionem formare. Dixit ad eos „ diutius vir ſanctus, beneficia commemorans, quæ „ præ ceteris animantibus accepiſſent a Deo, dum „ in communi diluvio, & tanta ſtrage ceterorum „ ſoli ab eo ſervati, & nunc ad hoſpitium naufrago Prophetæ præbendum, nunc ad lucem „ Juſto illi reddendam, nunc ad ſtaterem Deo „ tributario ſubminiſtrandum delecti eſſent. His, „ aliiſque argumentis ad Conditoris laudes excitatos, denique paterna benedictione omnes „ impertivit. Nunquam alias opinor mutis his „ animantibus doluiſſe magis negatam fandi „ facultatem. Libenter utique ſolviſſent vincula „ ſtupidæ linguæ ſuæ, & in ſonos, vocesque „ articulatas prorupiſſent. Id vero cum non „ daretur, demiſſis modeſte capitibus Dei præconem reveriti, & pinnulis plaudentes fundum repetierunt. Quis mihi nunc obſtrepit, „ & glorioſum poëtico figmento Arionem commemorat, qui harmonico concentu delphinos „ ad fortis ſuæ miſerationem moverit? Apage „ commenta poëtarum; neque enim ad fidem prodigiis faciendam fabulis mihi, ac mendaciis eſt „ opus. Et quando unquam oſtentatrix ſui Græcia tantum fingere cogitando auſa eſt, quantum „ opere, & reipſa Antonius præſtitit? Fieri ſane „ potuit, ut celeberrimus ejus Demoſthenes ſimilem gloriam expectaret, quando, teſte Valerio,

„ in-

„ inflatus juvenili facundia, exercitatum ſe ad
„ maris littora exibat, quaſi & fluctus ſuſpendere,
„ & monſtra dicendo attonare poſſet. Sed quando
„ ad audiendum eum vel poſtremus piſciculorum
„ caput undis extulit? voces ejus, reſpectu nullo,
„ auſtri, & aquilones difflarunt, nec contigit un-
„ quam, fluctum aliquem deſiderio audiendi ejus
„ a murmure tantiſper, & fremitu ceſſaviſſe. Re-
„ præſentate ergo animis veſtris, quantam fuiſſe
„ oporteat Antonii gloriam, ubi præſente populo,
„ quem rei novitas innumerabilem exciverat, viſus
„ eſt revera monſtra voce ſua ſuſpenſa ſic tenere,
„ ut vel convocaret ad audiendum, vel rurſum
„ dimitteret pro arbitratu. Quapropter minime
„ mirandum eſt, ſi prodigium illud tanta, tam-
„ que celebris converſio hæreticorum conſecuta
„ eſt. Res una fortaſſe fuit, cur tanta Antonii
„ miracula minore plauſu exciperentur; hæc nem-
„ pe, quod familiaria jam nimis ei erant. Deus
„ enim, cum in dies conſpicuum magis reddere
„ ſervum ſuum vellet, viſus eſt Moſaicam illam
„ virgam in manus ejus conſignaſſe, ut ſuperbos
„ deprimeret, diſſolutos coërceret, & prodigio-
„ rum vi Pharäones ipſos ad pedes ejus abjiceret.
„ Quid enim? an non videre fuit efferatum Eze-
„ linum fune in collum injecto ad pedes Antonii
„ petere veniam, ferre patienter repræhenſiones,
„ & objurgationes excipere? atqui ille tam erat
„ natura elatus, ac ferox, ut a prælio prope Me-
„ diolanum ſaucius, atque captivus induci non
„ poſſet, ut ageret de pace, imo nec ut vulnus
„ curaret, vel cibum ſumeret, vel verbum cui-
„ quam loqueretur. Malebat perfidus deſperanter
„ emori beſtiæ inſtar, quam ſolatii, ne dicam ex-
„ probrationis aliquid ab hoſtibus admittere. Quis
„ igitur triumphus iſto excellior? Eat ſane, cui
„ lubet, & vel Humbertum ſtupeat, qui urſum

„ feritate poſita ſequi ſe juſſit, vel Simonidem, qui „ ante ſe egit manſuetum leonem, vel ipſum adeo „ Antonium, dum ſacra hoſtia oſtenſa mulum in „ genua abjecit. Majus his omnibus eſt, ni fal- „ lor, proſtratum ad pedes ſuos, & ſupplicantem „ videre Ezelinum. „

Hanc hypotypoſin multiplicem, & admirandam idcirco appoſui, quod deſperarem auguſtiorem ſacræ Eloquentiæ imaginem ſive ipſe efformare, ſive apud alium quemcunque demum reperire me poſſe. Servabatur hoc laudationi benedictæ linguæ ejus, in quam priorum Sanctorum vis, & efficacia omnis confluxit, quæ incorrupta in hunc diem, vel cum tacet, ingenti voce adhuc perſonat, pergitque pro ſalute noſtra, ſive ad Deum, ſive nos ipſos, qua olim ſolebat, potentia declamare. Nec eſt, cur quiſpiam loci prolixitatem cauſetur in legendo; quando ego, qui tranſcribendi laborem ægerrime mihi ſumo, præ deliciis, quibus ſcatet totus, multò etiam prolixiorem voluiſſem. Eo autem ſervit præclare, quod & oſtendendum præcipue erat, effectus ſacræ Eloquentiæ non ſolis naturæ præſidiis niti, ſed cujus verba uſurpat, ejusdem quoque virtutem, & omnipotentiam participare. Quo ſane grandius, præcellentiusque nihil video addi poſſe ad illius commendationem.

62. Videat Lector, quæ hoc, & ſequentibus libris de Sanctis Athanaſio, Ephræm, Baſilio, Nazianzeno, Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Leone, Bernardo diſperſa leguntur; paſſim namque de effectibus ſacræ eloquentiæ varia, eaque præclara occurrent. Huc etiam ſpectant, quæ Hieronymus Platus *Libr. 2. de bono ſtatus religioſi cap. 30.* fuſe, præſertim de Sancto Bernardo, & Vincentio Ferrerio commemorat. Ubi eſt ejus ſplendida non minus, quam vera ſententia: *Si nullos alios habuiſſet Religio præter hos duos, qui in hominum*

num moribus reformandis operam poſuiſſent, & de Eccleſia bene meriti eſſent, nonne hoc ad ejus laudem ac gloriam ſatis magnum, & illuſtre fuiſſet? Quæ verba præterire non debent Reformatores noſtri, qui inter ceteras novitates cathedris templorum pulſos omnes Religioſos volunt, non obſcuro quorundam gaudio, qui quaſi ſuper eorum ruinas exaltandi, neſcio quæ ſibi inde emolumenta pollicentur. Fors enim in media luce eruditionis non vident viri boni, pleroſque ſeu Patres, ſeu imitatores Patrum, quicunque facundia floruerunt, & præ ceteris juverunt rem chriſtianam, Monachos extitiſſe, aut aliud quoddam Religioſorum Inſtitutum eſſe profeſſos.

CAPUT II.

In plurimis nihilominus utramque Eloquentiam, ſacram & profanam, omnino convenire, breviſſima, ſed & planiſſima via demonſtratur.

63. Quo fuſiores eſſe nos priori capite oportebat, eo brevioribus eſſe in iſto licet; quod impedimentis ſcilicet e medio ſublatis via ad greſſum, imo curſum quoque facilior cœpit aperiri. Oſtendimus autem pleraque, certe præcipua, quibus inter ſe noſtrorum, & exterorum eloquentia diſcreparet. Hoc autem ubi ſolicite, & quantum tenuitas noſtra ſinebat, nunc præſtitum eſt, per ſe conſequitur, ceteris fere omnibus, quæ ibi commemorata non ſunt, convenire inter ſe utramque, & iiſdem uti præceptis, iiſdem legibus adſtringi. Vin' vero ſingillatim aliqua ediſſeram? Sic ergo habe. Quidquid Cicero, & Quintilianus (quibus duobus meliores dicendi Magiſtros orbis non habuit) quidquid, inquam, iſti de peritia in animis præparandis, captandaque benevolentia rectiſſime profecto, & ſapientiſſime admonuerunt: quidquid

 de

de perſpicuitate in docendo, de amœnitate in delectando, & ante omnia de efficacitate in movendo magnopere volunt ab oratoribus obſervari: quidquid de delectu, & diſpoſitione argumentorum, quidquid de variis generibus dicendi, de figuris, de affectibus, de actionis, & pronuntiationis ſive gravitate, ſive elegantia, & quibuscunque aliis oratorum officiis generatim præceperunt: hic pariter absque controverſia rata, & ſtatuta ſunt, aſſenſioneque ſumma comprobantur. Imo non deſunt ex Patribus, qui nominatim *Prudentiæ* regulas omnes hic velint adhiberi, & uti in omnibus cauſis, ita & in iſtis varietate multimoda materias verſari. Græci plerique, atque non pauci etiam Latinorum elegantia inſuper, & jucunditate quadam verborum ſonantium, ac lenium utuntur, circuitiones habent ſine anfractibus, numerosque ad ſpiritum vocis aptant ſemper, & tantum non metiuntur, figuras aptiſſime eligunt, cum eas, quæ in verbis ſitæ ſunt, tum illas maxime, quæ ex ſenſibus ipſis eliciuntur. Omnes jam exclamant, jam interrogationibus inſtant, jam ipſos auditores ſtudioſe conſulunt, jam ſermonem ad unum aliquem convertunt, jam fingunt perſonas, jam vocem tribuunt rebus mutis, atque inanimis, jam mortuos evocant e tumulo, jam dubia occupant, jam ſententiarum lumine perſtringunt oculos, jam hypotypoſes expromunt, quibus res non dici, ſed geri videatur. Verum nihil ego magis in eorum lectione vel deprehendi ſæpius, vel magis admiratus ſum, quam quod primum eſt in morato oratore, quomodo inſinuare ſe ſcirent in animos, eosque artificio, & dexteritate tam admirabili tractare, ut non raro, quos offenſos habuerant ante, amiciſſimos dimitterent, quosque rudiſſimos acceperant, velut ſolaribus radiis offuſis penitiſſime perdocerent. De quibuſdam proditum eſt, quod eos quoque,

que, qui nauſeabundi omnino, & cum ſtomacho accellerant, tenerent mira jucunditate, denique ſummos æque, ac infimos affectuum ſive lenitate, ſive vehementia raperent magis, quam traherent, quocunque collibuiſſet.

Sed & in illo profanos noſtri ſecuti ſunt, quod probe diſtinguerent inter genera dicendi, neque unum præ altero ſine cauſa, ſed planum pro humilibus, temperatum pro lenibus, pro ſplendidis denſum quoddam, ac numeroſum, pro gravibus abruptum, & laconicum, pro amœnis florulentum, pro indignis, atque invidioſis acre, pungens, inſultans, atque ſatyricum, pro grandibus, & divinis ſublime, pro difficilibus, & impeditis vehemens, incitatumque adhiberent.

Partes quoque ipſas orationis apud eos accurate diſtinctas reperire eſt. *Exordiorum* genus omne habent, ſive illorum, quæ aliunde, ſive horum, quæ ex viſceribus ipſius cauſæ petuntur, item quæ vel ex abrupto effundunt ſe ſtatim, vel quæ moras trahunt longiores, ac paulatim tandem ad rem ipſam introducunt. *Narrationes* eorum crebræ non minus, quam faciles, & nativæ. *Digreſſiones* uti res, locusque poſcebant, ſi non ſemper ad ſcopum, ut dictum eſt, ipſius argumenti, at certe nunquam non ad maximam audientium utilitatem. *Amplificationum* omnigenarum proſtans ubique, & diffuſa copia: nec minor *Confutationum*, ſive quæ concitationem, & certamen habent, ſive lenium etiam illarum, lepidarumque, quæ blanditiis, & urbanitatibus intertextæ ſunt. Demum & *Perorationes* deprehendi luculentas, in quibus dicta omnia veluti in faſcem colliguntur, vel vi, ſiqua ante adhibita eſt, univerſa juncta, & congeminata velut in inclinatum jam parietem incumbitur ab oratore. Quid vero de *Similibus*, quid de *Nexu*, & *Tranſitione*, quid de converſionibus *Figurarum*, quid de cetera ſup-

 pel-

pelleĉtili Rhetorica, quæ immenſa eſt, dicemus? Excellunt nempe in omnibus iſtis multi eorum velut neglectu quodam, quin ſtudium adhibeant, & quaſi toti in his rebus eſſent, omittunt nihil, quo minus diſertiſſimi a nobis, ac perfecti oratores habeantur.

64. Ne vero gratis, & temere iſta prolocutus videri poſſim, age Divum Auguſtinum * audiamus, qui in notiſſimo opere *De doctrina chriſtiana Libr.* 4. *toto* abſolutam dedit, atque utiliſſimam, ut ipſe animo conceperat, oratoris chriſtiani deſcriptionem. Et quidem poſt ingreſſum, quem operi perbrevem præmittit, mox *Capite ſecundo* advertit, præcepta ſæcularium oratorum non poſſe ſolum, ſed quoties liceret, debere etiam a noſtris adhiberi. *Cum per artem Rhetoricam*, inquit, *& vera ſuadeantur, & falſa, quis audeat dicere, adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem? ut videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, iſti autem non noverint? illi falſa breviter, aperte, veriſimiliter, & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non placeat **, credere poſtremo non libeat? Illi*, pergit vehementius etiam exclamare, *fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem, iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare? illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter, iſti pro veritate lenti, frigidique dormitent? quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Cum ergo ſit in medio poſita facultas eloquii, quæ ad perſuadenda ſeu prava, ſeu recta valeat plurimum, cur non bonorum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas, vanas-*

* Sileo Librum Bedæ de *Tropis S. Scripturæ*, & Caſſiodori *Compendium Rhetoricæ*.
** Alii legunt *pateat*.

vanasque cauſas in uſus iniquitatis, & erroris uſurpant?

Capite III. monet, Rhetoricam cito, & florenti ætaţe addiſci ab eo oportere, qui perdiſcere eam cupiat. Quam in rem Ciceronem, & Quintilianum teſtes advocat. Oſtendit dein ſane eleganter, adoleſcentes legendo, & audiendo, exercitatione item ſcribendi, dictandi, & dicendi facilius multo quam operoſa inſtitutione, & copia præceptionum diſertos fieri paulatim, ac eloquentes.

Capite IV. oſtendit Oratoris ſacri haud ſecus, ac profani officium eſſe, ut doceat bona, vel dedoceat mala, adverſos conciliet, remiſſos erigat, neſcientes erudiat, & pro rei ratione benevolos, intentos, dociles ſeu inveniat auditores, ſeu ipſe faciat. Et in docendo quidem adhiberi vult narrationes, proferri documenta, expromi ratiocinia: ad movendum vero majoribus dicendi viribus, obſecrationibus ſcilicet, & increpationibus, concitationibus, & coërcitionibus, omnibusque aliis eſſe opus, quæ ad animos fortiter afficiendos valent.

Capite V. ut eloquenter dicatur, ſapienter ait eſſe dicendum, & ſicut profani ex ſuis ſapientibus accipiunt, unde fiant ſapientes: ita nobis ex lectione, uſuque Scripturarum ſapientiam, eloquentiam vero a viris Eccleſiaſticis, qui eloquentiores fuerint, non per ambages præceptorum, uti jam ante monuerat, ſed ipſa lectione, & imitatione eſſe petendam.

Capite VI. In ipſis adeo ſcripturis affirmat, ſanam quamdam, germanam, imo admirabilem quoque facundiam eſſe, id quod deinceps

Capite VII. adductis pluribus exemplis fuſe, & luculenter oſtendit.

Capite VIII. Non tamen ideo, cavet, quod in Scripturis multa obſcure dicta ſint, & nos in dicendo obſcuros eſſe oportere:

Capite IX. tantoque majorem adhibendam perſpicuitatem orationis; quod quædam ſint, quæ planiſſimis etiam verbis expreſſa, tamen difficulter adhuc, & tarde ab hominibus intelligantur.

Capite X. Aliquando perſpicuitatis hujus cauſa minus curandam, inquit, proprietatem, & puritatem verborum, diligenti quadam negligentia, vitandaque in docendo omnia, quæ rem non declarant; quod ſcilicet orator, qui ſilentibus omnibus ipſe unus loquitur, non poteſt interpellari, quemadmodum in privatis collocutionibus fieri conſuevit, ſi quid ibi fors minus a præſentium aliquo ſit intellectum. Rem autem ſemel perceptam, addit, non ultra inculcandam eſſe, niſi forte nova aliqua ratione, quæ delectare poſſit, id fiat.

Capite XI. Iterum perſpicuitatem eam in docendo urget; quam nihilominus ſuavitate aliqua conjunctam cupit.

Capite XII. Speciatim officia oratoris, quæ ſunt docere, delectare, & flectere, ex Tullio explicare aggreditur.

Capite XIII. Ex his potiſſimum, & quo referantur cetera, eſſe flectere.

Capite XIV. Dicendum præterea ab Oratore ſacro eſſe graviter, ita ut veritatem ſectetur ante omnia, aſſentationem autem, & inanem verborum ambitum in argumentis tam ſeriis penitus averſetur.

Capite XV. . . . . .

Capite XVI. Studium & laboris patientiam inculcat.

Capite XVII. Triplex dicendi genus ex Cicerone ita partitur, ut parva ſubmiſſe, modica temperate, magna granditer dicere aſſueſcamus, atque in hoc,

Capite XVIII. dicit, ſacro Oratori cum profano omnino convenire.

Capite

Capite XIX. Non eſſe igitur diutius eodem genere dicendi, ſed alio, atque alio nobis utendum.

Capite XX. Id quod exemplis divinarum Literarum oſtendit. Ubi etiam occaſione captata monet, omnia, quæ cum quæſtione aliqua connexa ſunt, ſimul ſolvenda eſſe, ita tamen, ut quantum poteſt vitetur confuſio, & memoriæ conſulatur. Vult etiam quædam ultro refutari, præſertim ubi talia ſunt, quæ facile in mentem venire auditori poſſint, & dubium forſan movere. Ibidem ad genus dicendi grande tranſit, illudque eximie profecto exponit.

Capite XXI. Exempla pro triplici illo genere dicendi ex SS. Cypriano, atque Ambroſio ſuppeditat.

Capite XXII. Operam dari vult, ut tria hæc genera apte varientur, & miſceantur, ita nimirum, ut ſemper diutius grandi inhæreatur, præſertim ubi moveri paulatim incipiunt auditores.

Capite XXIII. Grande genus temperata principia exigere, imo aliqua ex iis quoque, quæ granditer poſſent dici, ſubmittenda, ut inde cetera grandia eluceſcant magis, & ex illorum comparatione tanquam umbris juxta poſitis fiant grandiora. Subtiliora, & arguta genus ſubmiſſum, panegyrica vero temperatum decere.

Capite XXIV. Genus dicendi grande tum valere, cum movet, cum lacrimas ciet: id quod narratione de ſuo quodam ſermone declarat. Id autem nunquam contingere genere dicendi ſubmiſſo, & raro etiam genere temperato.

Capite XXV. Finem in omni genere dicendi eſſe aliquid perſuadere. Et in ſubmiſſo quidem, ut putentur vera eſſe, quæ dicimus: in grandi, ut putentur agenda eſſe, quæ vera cognita ſunt: in temperato, ut pulcre ſaltem, & ornate dixiſſe cenſeamur. Hoc tamen fine contentam non eſſe Rheto-

ricam Sacram, verum illum ſæcularibus relinquere, cum ad hunc grandis generis finem intenta ſit ſemper, ut inde homines ſive ad agendum bona, vel omittendum mala permoveantur.

Capite XXVI. Curandum eſſe, ut intelligamur facile, & libenter etiam, obedienterque audiamur, quocunque demum genere dicendum ſit nobis. Etſi enim ſingula hæc uni magis, quam alteri generi conveniant, & propria ſint, in omnibus tamen intendi, atque etiam obtineri poſſe.

Capite XXVII. . . . . .

Capite XXVIII. In ipſo Sermone curandum potius Oratori, uti rebus, quam uti verbis placeat, nec exiſtimandum melius dici, niſi quod verius dicitur. Non autem Doctorem verbis, ſed verba Doctori ſervire debere, neque unquam horum cauſa illi ſuperbiendum, præſtareque vera indiſerte, quam falſa eloquenter dicere.

Capite XXIX. . . . . .

Capite XXX. . . . . .

Ecce hic accuratam ſynopſin notiſſimi opuſculi, in quo non plura ſolum ex profanis Sanctus Doctor congeſſit, ſed pauciſſimis quibusdam exceptis, non alia docet, quam quæ nobis pariter, ac illis ex æquo conveniant. Sola Capita XV. XXVII. XXIX. XXX, atque ex parte aliqua XIV, & XXV. ejusmodi præceptiones continent, quæ a profana Rhetorica ſint alienæ, & ad noſtram ſolummodo, ſacram videlicet, reſtringantur. Verum ex iis,quæ poſterioribus deinceps Libris noſtris afferenda ſunt (ibi enim apparatum omnem oratorium excutiemus, & ſpecimina dabimus magno numero) multo etiam luculentius apparebit, quam ſint pleraque noſtris, & ſæcularibus communia, haud ſecus profecto, ac ſi data, acceptaque fide maximis his de rebus dudum inter ſeſe transegiſſent.

DIS-

DISSERTATIO VI.

De cultu, & ornatu Eloquentiæ Patrum,

ſeu

quomodo Patres nominatim circa cultum ornatumque dictionis a profanis Oratoribus diſſentiant, vel cum iisdem conſentiant?

CAPUT I.

Oſtenditur cum ratione, tum ex omnium fere Sæculorum graviſſimis teſtimoniis, Patres pompam inanem, fucumque verborum neglexiſſe potius, quam affectaſſe.

65. Nemo miretur, me rei huic uni integrum, idque longiuſculum caput dare, quando ipſa potiſſimum eſt, quam cauſantur plerique græculorum, cur Patrum libris tam parum tribuant, ſæcularium vero lectione tam vehementer afficiantur. Iſtuc autem velut indubitatum dari mihi nunc volo, eundem ornatum, easdemque veneres, & delicias orationis, quas apud profanos tantopere laudamus, Sanctis Doctoribus parum profecto, ne dicam minime convenire. Orator enim Chriſtianus non eſt, qui contra perſonam, contra finem, & argumentum ſuum agit; quando ita toto, quod ajunt, cœlo aberraverit, ut qui verba facere non debet, niſi rerum gratia, nec delectationem adhibere auditori, niſi ut inſtrui commodius poſſit, ac vehementius commoveri. Eloquentia ſacra gravis eſt, & ſeria, & pudica maxime, non ambit ornatum, mundumque muliebrem univerſum pedibus trahit. Dein anxia illa cura expoliendi totum fere hominem occupat, nec raro ſplendor dictionis officit lumini ipſius veritatis, ſi non omnino

ean-

eandem infringit. Neque enim poteſt depugnare cum vitiis ille, qui totus quaſi vinctus eſt, & adſtrictus legibus numeroſæ orationis; aurea geſtat, & picturata jacula, enſes gemmatos, qui vulnus non alte imprimant, & non ad pugnam, ſed oſtentationem potius ſoleant adhiberi. De rebus eheu! nimirum ſeriis hic agitur. Et ſi apud profanos quoque auctores abſurdiſſimum eſt viſum, arti plus, quam ipſi rei indulgere, ſi conqueſti ſunt, quod in cauſas capitales, in ipſa ſcilicet fortunarum, vitæque pericula irruperit voluptas, quod pro iis, de quorum ſumma agitur, decurrant periodi, & vernantiſſimis verbis, ſententiisque dicatur: ſi non ſine ſtomacho quærunt, quo fugerit interim dolor ille animi, ubi lacrimæ ſubſtiterint, & unde ſe in medium tam curioſa obſervatio clauſularum immiſerit, cur non inde ab exordio usque ad ultimam vocem continuus quidam gemitus, & idem triſtitiæ vultus ſervetur? quomodo in hac luxuria, pompaque ſermonis ſerius ille animus ex oculis, geſtuque elucens, illa triſtitia, & afflictio poſſit ſervari: quomodo commoveatur quisquam hominis fortuna, qui talem ſibi Patronum elegiſſet? an non oderit in anteceſſum aucupantem verba, & anxium de fama ingenii, & cui id loci eſſe diſerto vacet? Si, inquam, ita profani loquuntur *, quanto juſtior ea querela eſt, ubi materiæ horribiles, graviſſimæque pertractantur, ubi morte propinqua terrere peccatorem, vocem divini ſanguinis vindictam clamantis, iras & fulmina contempti Numinis, dehiſcentem

* Præter Ciceronem *de Oratore, ubi vitioſum eſſe*, ait, *inter ſevera delicatum inferre ſermonem:* Quintilianus *L.* 4. *cap.* 2. & *L.* 9. *in Proœmio.* Seneca *Epiſt.* 75. & 115. Aulus Gellius *Libro V. Noct. attic. cap.* 1. Dionyſius *in Iſocrate* diſertis verbis: *Oratio nimis elegans & feſtiva in rebus ſeriis intempeſtiva res eſt, & miſerationi contraria.*

tem infra pedes infernum, crepitanteſque globos inextinguibilium flammarum exhibere propoſuiſti? Parvuli fame pene enecti petunt panem, ægrorum cumuli circumjacent, fratres & propinqui cum ferro flammaque hoſtili luctantur, de cujuſque ſalute vel pernicie, neque ea temporaria, ſed æterna dimicandum eſt: & te unguenta, te delicias, & cupedias ad cauſam afferre? An injuriam facit tibi, qui judicat ex ipſo ſermone, te minus ceteris omnibus, quos perſuadere deberes, perſuaſum ipſum eſſe, quando ibi rhetoricaris, & ludis, ubi non tam loquendum, quam tonandum, quam fulminandum erat?

Procul ergo hinc, procul eſte lenocinia, & veneres linguarum, omniſque fucus ille, qui lucernam olet. Pulchra ſint, licet; at nunc non erat his locus: & tantum abeſt, ut præſidio ſint ſacræ orationi, ut impedimentum afferant potius, nervos incidant, vimque & majeſtatem ejus omnem intervertant. Amabilis ſimplicitas, gravitati conjuncta, dictio nec popularis illa quidem, ſed tamen ita temperata verborum, numerorumque delectu, uti appareat, te in omnibus captum, & utilitatem populi ſpectare, cujus major ubique inter auditores copia, ruditas vero ſupra, quam dici ſæpe, aut credi poſſit. Secus qui faxit, aut non intelligetur ille a multis, aut plures a propoſito graviore avertet penitus; qui quo magis laudabunt oratorem, eo minus ipſi emendabuntur, quando ut fructus ferant, ſe, & Deum reſpicere ſemper in concione debent, nihil aliud.

Itaque fruſtra apud Patres, pleroſque ſaltem, quæruntur delicatior atticiſmus, & munditiæ latinitatis. Illud ubique in ore habentes: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiri-*

ſpiritus, & virtutis *, non ſunt ſecuti latiſſimam illam declamatorum libertatem, quæ nec frontem, nec oculos habet in exornando, ubi omnia operoſa, & affectata, ubi epitheta conquiſita, tornati periodi, in curſu ipſo orationis ita compta, cincinnataque univerſa, ut præ copia munditiarum diſſipata ſemper mens auditorum non dico argumentis, ſed ne ipſis quidem elegantiis advertendis ſufficere poſſit **. His illi nixi principiis non diu hærent in cultu orationis, non ſordent ipſis vocabula eccleſiaſtica, ficum ficum, ſcapham ſcapham appellant, nihil admittunt, quod præceptiones, & anxiam diligentiam prodat, totique in eo ſunt, ut quo minus delectarent his rebus, eo docerent clarius, & certius permoverent. Quinimo de pluribus eorum, etiam terſis alias & eloquentibus, ultro concedimus, habere eos nonnunquam etſi non ſermonem, at verba certe horridiora, pro ætate quemque ſua, uti tum & loqui mos erat, & ſcribere. Id quod video etiam coævis eorum temporum profanis ſcriptoribus frequenter accidiſſe. Ut adeo, quod ſupra diximus, ſiqua eſt eloquentiæ macula (nam certe leviſſima eſt) vitio iis verti nequaquam poſſit, ut qui ætati ſuæ, & volebant ſummopere, & vero etiam debebant totos ſe accommodare. Secus (uti tam multis ſæcularium accidit non ſemel) vanitate leviculi, affectatione putidi, frigidive comparuiſſent, poſitaque virili illa, & efficaci facundia, pretium, quod rebus dare debebant ad commune emolumentum, ipſi omnium maxime iis ademiſſent.

66. Sed quid his immoror tamdiu? quando plenius multo, perfectiusque oſtendere id licet, ſi non tam rationibus, quam teſtimoniis ex omni retro antiqui-

* 1. *Cor.* 2. 4.

** Legatur epiſtola Eraſmi ad *Damianum a Goïs Libro XXVII, numero 39no.*

tiquitatę depugnem, cunctaque ex conſtanti ipſorummet Patrum ſenſu, conceptisque adeo verbis definiam. Illa ſat ſcio haud paulo magis placitura lectoribus, quam ſi vel mea obtrudi ſibi audirent diutius, vel plagulas ex modernis recitari. Operam certe dedi haud vulgarem, uti ad tædium cavendum ea afferrem, quæ novas identidem rationes, atque argumenta varia continerent. Age lector, accedamus ad rem, & ordine Sæculorum progrediamur.

Theophilus Antiochenus initio Libri I. ad Autolycum: „ Lepida quidem lingua, inquit, ac ele-„ gans dictio delectationem afferunt & laudem, ad „ inanem gloriam miſeris hominibus, qui mentem „ corruptam gerunt: veritatis autem amator non „ ducitur ſermonibus fucatis, ſed ſermoni opus „ adjunctum quodnam, & quale ſit, inquirit. „

S. Clemens Alexandrinus Præceptor Origenis, Patrum eruditiſſimus, & qui græcos ſcriptores omnes evolverat, ita de genere eloquentiæ, quod ſibi ut Chriſtiano Doctori ſequendum conſtituerat, ſane graviter, nec minus ornate loquitur *Libr.* 1. *Stromat. c.* 4. „ Mihi autem non ſine cauſa, ut exiſtimo, con-„ ſtitutum eſt, *Logo* * convenienter vivere; ea autem, „ quæ ſignificantur, intelligere; eloquentiam au-„ tem nunquam ſectari, ſed contentum eſſe, ſi „ quovis modo, quid intelligam, ſignificem. Quo „ autem nomine ſignificetur id, quod volo expo-„ nere, nihil mihi curæ eſt. Servare enim, & „ opem ferre iis, qui ſervari cupiunt, puto eſſe „ optimum, non autem dictiunculas tanquam quæ-„ dam ornamenta componere &c. „

Et rurſum ibid.

„ Dictio enim eſt tanquam veſtis in corpore: „ res autem ſunt carnes, & nervi. Non oportet „ ergo majorem veſtis, quam ſalutis corporis curam „ ge-

* i. e. *Verbo* & *rationi.*

„ gerere. Non ſolum enim frugalis vitæ ratio, ſed „ etiam a ſupervacaneo cultu, ornatuque aliena ora- „ tio exercenda eſt ei, qui veram vitam elegit &c. „

Et *Libro II. Stromatum cap.* 1.

„ Sæpe autem diximus, neque nos, ut græce lo- „ quamur, nosmet exercuiſſe, neque in eo ſtu- „ dium ponere; hoc enim illis prodeſt, qui vulgus „ a veritate abducunt. Vera autem Philoſophia „ non tam linguas audientium, quam mentes ju- „ vat. Oportet autem, ut opinor, eum, qui cu- „ ram gerit veritatis, non artificioſe & longo „ ſtudio compoſita oratione uti; ſed conari tantum „ id, quod vult, qualicunque poteſt, modo ex- „ ponere. Eos enim, qui hærent dictionibus, & „ in eis ſunt occupati, res ipſæ effugiunt. „

Origenes Homil. VII. in Jeſum Nave, inſignem hunc figuram applicans: „ Multus decor eſt, ait, „ in verbis, & multa in Philoſophorum, vel Rhe- „ torum ſermonibus pulchritudo, qui omnes de „ civitate ſunt Jericho, id eſt hujus mundi homi- „ nes, &c. Sed vide, ne te decipiat fulgor operis, „ ne te rapiat ſermonis aurei pulchritudo: me- „ mento, quia Jeſus anathema juſſit eſſe omne au- „ rum, quod in Jericho fuerit inventum &c. „

S. Cyprianus, qui hic eo magis locum meretur, quod ex oratore profano factus præco Chriſtianus, in ſe ipſo genus eloquentiæ utrumque expertus eſt, ſic ait *Epiſtol.* 2. *ad Donatum.* „ Aggrediar „ tamen facultate qua valeo; nam & materia dicen- „ di facit mecum. In judiciis, in concione pro „ roſtris opulenta facundia volubili ambitione jacte- „ tur: cum de Domino Deo vox eſt, vocis pura „ ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei ar- „ gumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſer- „ ta, ſed fortia, nec ad audientiæ popularis ille- „ cebram culto ſermone fucata, ſed ad divinam in- „ dulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia. „

Lactantius Libr. 3. divinar. Inſtitut. cap. 1.: „ Deus, inquit, hanc voluit rei eſſe naturam, ut „ ſimplex, & nuda veritas eſſet luculentior; quia „ ſatis ornata per ſe eſt, ideoque ornamentis extrin- „ ſecus additis fucata corrumpitur: mendacium „ vero ſpecie placet aliena, quia per ſe corruptum „ vaneſcit, ac defluit, niſi aliunde ornetur.„

S. Athanaſius, vel quisquis eſt auctor *Homiliæ de Semente*, *Tomo II.* graviter queritur de iis, qui græcitatis ſtudio ad concionem properarent; aitque oratorem æque, ac auditorem absque fructu inde recedere. Contra probos, ac fideles non idioma, non verba, ſed res ſpectare, magis utique ſolicitos, ne mente & moribus, quam ne lingua, ac ſermone incompoſiti eſſent. Verba ipſa non affero, quod vitium habet locus, & necdum vel in ultima editione potuit perſanari. Quid vero manifeſtius, imo quid efficacius dici in eam rem poteſt, quam quod Sapientiſſimus Doctor admonuit?

S. Hilarius Pictavienſis de ratione dicendi divinis Literis, non hominum judicio accommodanda, ſic loquitur *Libr. 4. de Trinit. ante medium.* „ Intelli- „ gentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi; „ quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubje- „ ctus. „

S. Baſilius Magnus Hom. 3. Hexameron propius finem. „ Nemo autem ſermonum ſimplicitatem, „ ac incultum cum curioſitate eorum, qui de cœlo „ philoſophati ſunt, comparet. Quanto enim ca- „ ſtarum pulchritudo meretricia præſtabilior eſt, „ tanto ſermones noſtri externis præſtant. Hi nam- „ que probabilitatem vi extortam ſuis ſententiis con- „ ciliant: hic vero nuda, & ab artificiis vacua pro- „ ponitur veritas. „

Iterum *Epiſt.* 135. *alias* 167. *ad Diodorum:* „ Simplex, nec elaboratum dicendi genus con- „ gruere mihi viſum eſt chriſtiani propoſito, non

„ tam ad oſtentationem, quam ad communem uti-
„ litatem ſcribentis. „

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 32. *verſus finem* inter alia judicia, quæ mundus de Paſtoribus corruptiſſima haberet, hoc quoque ponit falſiſſime ſimul, & graviſſime: „ Non Sacerdotes, ſed Rhetores quæ-
„ runt. Nonnihil eos excuſabo. Sic eos erudivi-
„ mus, qui omnibus omnia efficimur, haud ſcio,
„ utrum ut omnes ſalvos faciamus, an ut perdamus.„ Et jam ante *ibidem* dixerat, bene conſtitutæ ſuæ Eccleſiæ partem etiam opus ſermonum ſuorum eſſe, non eorum, quos projecerit, ſed quos amore complexus ſit, nec meretriciorum, ut quidam ipſum proſcindens dixerit homo & ſermone & moribus meretriciis, verum admodum etiam gravium, & pudicorum.

Gregorius alter, *Nyſſenus* ſcilicet, ab oratoria profana, quam fecerat, & ipſe ad ſacram translatus *Homil.* 1. *Hexameron* ita ait: „ Audiamus ergo verba
„ veritatis neutiquam conſiſtentia in perſuaſibilibus
„ humanæ ſapientiæ ſuadelis, ſed quæ deprompta
„ ſunt e veraci doctrinæ ſpiritus promptuario, quo-
„ rum exitum non plauſibilis auditorum acclama-
„ tio, lausque excipit, potius iis, qui docentur,
„ conciliat ſalutem. „

S. Ambroſius Libr. 8. *in Lucæ cap.* 18. „ Auffer
„ mihi, inquit, lenocinia fucumque verborum,
„ quæ ſolent enervare ſententias.„ Et iterum: „Quod
„ luxuriat in flore ſermonis, tenuatur, & hebeta-
„ tur in fructu. „ Et fuſius etiam *Libr.* 2. *in Lucæ cap.* 2. „ Nihil apud me diſtat in verbo, quod non
„ diſtat in ſenſu; nam ſi orator illorum *, qui pha-
„ leras ſermonum ſequuntur, negat in hoc poſitas
„ eſſe fortunas græciæ, hoc an illo verbo uſus ſit,
„ ſed rem ſpectandam putat; ſi ipſi Philoſophi eo-
„ rum,

* *Demoſthenem notat.*

„ rum, qui totos dies in diſputatione conſumunt, „ minus latinis, & receptis uſi ſermonibus ſunt, „ ut propriis uterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas, & operum miracula divinorum, nullis venuſtata ſermonibus veritatis ſuæ lumine refulſerunt. „

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 30. *in acta* habet in hæc verba: „ Hoc Eccleſias ſubvertit, quod vos „ non quæratis verba compunctionis, ſed quæ oblectent & ſono, & verborum compoſitione, ac „ ſi cantores & cytharados audiretis: & nos frigide „ ac miſere veſtros affectus ſequimur, quos exſcindere oporteret: id ipſumque facimus, ac ſi pater molli puero, etſi infirmanti, frigidam placentam, & quæ ſolum oblectant, porrigat; utilium „ vero nullam curam habeat: deinde a medicis „ objurgatus ad excuſationem dicat: quid faciam? „ flentem puerum ferre nequeo. Miſer, infelix, „ & proditor! neque enim hunc patrem dixerim: „ quam melius eſſet illum parvo tempore triſtitia „ affectum perfectæ ſanitati reſtituere, quam temporaneam gratiam perpetui mæroris cauſam facere? Hoc & nos facimus, dum elegantem orationem fruſtra quærimus, harmoniamque, ut „ placeamus, non ut proſimus: ut admirationi habeamur, non ut doceamus: ut oblectemus, non „ ut compungamus: ut cum plauſu & laudibus diſcedamus, non ut mores componamus. „

S. Hieronymus in eodem argumento ſæpe, & graviter verſatur, uti *Epiſt.* 2. nunc 52. *quæ eſt ad Nepotianum.* „ Docente te, ait, in Eccleſia, non „ clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrimæ „ auditorum laudes tuæ ſint. Sermo Presbyteri „ Scripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine „ ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramen-

„ torum Dei tui eruditiſſimum. Verba volvere, „ & celeritate dicendi apud imperitum vulgus ad- „ mirationem ſui facere, indoctorum hominum „ eſt. „ Et quæ alia ſequuntur. Idem *ibidem ſu-perius* de Epiſtolis ſuis dixerat: „ Ne a me quæras „ pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, „ verborum lenocinia, & per fines capitulorum „ ſingulorum acuta quædam, breviterque conclu- „ ſa, quæ plauſus, & clamores excitent audientium. „ Audi igitur, ut beatus Cyprianus loquitur, non „ diſerta, ſed fortia. „ Iterum *Epiſt.* 125*: nunc* 36. *quæſt.* 2. inquit, „ Hæc diſputanti non ex flumine „ Tulliano ducendus eloquentiæ rivulus, nec au- „ res Quintiliani floſculis, & ſcholari declamatio- „ ne mulcendæ. Pedeſtris, & quotidianæ ſimilis, „ & nullam lucubrationem redolens oratio neceſſa- „ ria eſt, quæ rem explicet, ſenſum ediſſerat, ob- „ ſcura manifeſtet. Sint alii diſerti, laudentur, ut „ volunt, & inflatis buccis ſpumantia verba truti- „ nent, mihi ſufficit ſic loqui, ut intelligar. „ Item *L.* 3. *in Epiſt. ad Galat. in Proœmio* ita dicit: „ Jam & in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſaque Apo- „ ſtolorum ſimplicitate, & puritate verborum, quaſi „ ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut „ plauſus circumſtantium ſuſcitentur, & oratio „ Rhetoricæ artis fucata mendacio quaſi quædam „ meretricula procedat in publicum, non tam eru- „ ditura populos, quam favorem populi quæſitura, „ & in modum pſalterii, & tibiæ dulce canentis „ ſenſus demulceat audientium: ut vere illud „ Prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſit „ aptari, dicente Domino ad eum: Et factus es eis „ quaſi vox cytharæ ſuave canentis, & bene com- „ poſitæ, & audiunt verba tua, & non faciunt ea. „ Sed & in *cap.* 1. *Iſaiæ* locum illum de cauponibus aquam vino miſcentibus accommodat iis, qui vana eloquentia verbi divini ſaporem corrumpunt. De-

nique

nique *Proœmio Libr.* 3. *in ad Galatas* ita a ſe amandat elaboratæ dictionis ſtudioſos. „ Si quis eloquentiam quærit, vel declamationibus delectatur, „ habet in utraque lingua Demoſthenem, & Tullium, Polemonem, & Quintilianum. Eccleſia „ Chriſti non de Academia, & Lycæo, ſed de vili „ plebecula congregata eſt. „

S. Auguſtinus quia eloquentiæ præceptor, etſi Philoſophiæ plus daret quam Rhetoricæ, nihilominus quandoque in primis certaminibus cum Manichæis abripi ſe verborum lenocinio patiebatur. Itaque cum plures ita dicentem minus aſſequerentur, propterea ab amicis ſincere admonitus eſt, uti ipſe fatetur *Libr.* 1. *de Geneſi contr. Manichæos cap.* 1. „ Si eligerent Manichæi, quos deciperent, eligeremus & nos verba, quibus eis reſponderemus. „ Cum vero illi & doctos literis, & indoctos errore ſuo perſequantur, & cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere: non ornato, politoque ſermone, ſed rebus manifeſtis convincenda eſt vanitas eorum. Placuit enim mihi „ quorumdam vere Chriſtianorum ſententia, qui „ cum ſint eruditi liberalibus literis, tamen alios „ libros noſtros, quos adverſus Manichæos edidimus, „ cum legiſſent, viderunt eos ab imperitioribus „ aut vix, aut difficile intelligi, & me benevolentiſſime monuerunt, ut communem loquendi „ conſuetudinem non defererem, ſi errores illos „ tam perniciosos ab animis etiam imperitorum „ expellere cogitarem. Hunc enim ſermonem uſitatum, & ſimplicem etiam docti intelligunt: illum autem indocti non intelligunt. „ Sed & *Libro II. contr. Creſcon. cap.* 1. „ Noſtra, ait, non „ in expolitione ſermonis, ſed in demonſtratione „ veritatis eſt major intentio. „ *Idem Libr.* 4. *cap.* 10. *de Doctr. Chriſtian.* Ita præclare docet: „ Evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba

 „ cul-

„ cultiora, nec curat, quid bene ſonet, ſed quid „ bene indicet, atque intimet, quod oſtendere in- „ tendit. Unde ait quidam *, cum de tali genere „ locutionis ageret, eſſe in ea quandam diligen- „ tem negligentiam. Hæc tamen ſic detrahit or- „ natum, ut ſordes non contrahat. „ Et iterum *eod. cap.* „ Quid prodeſt locutionis integritas, quam „ non ſequitur intellectus audientis? cum loquendi „ nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur, non intelli- „ gunt, propter quos, ut intelligant, loquimur. „ Item *ibid. cap.* 11. „ Bonorum ingeniorum, ait, „ inſignis eſt indoles in verbis verum amare, non „ verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi ape- „ rire, quod volumus, non poteſt: aut quid obeſt „ lignea, ſi hoc poteſt; quando nihil quærimus, „ niſi patere, quod clauſum eſt? „ Rurſus *ibidem cap.* 14. „ In populo gravi, de quo dictum eſt Deo: „ *In populo gravi laudabo te*, nec illa ſuavitas (*ora- „ tionis*) delectabilis eſt, qua non quidem iniqua „ diliguntur ** (*uti pravi Doctores fecerunt*) ſed „ exigua, & fragilia bona ſpumeo verborum am- „ bitu ornantur, quali nec magna, atque ſtabilia „ decenter, & graviter ornarentur „ &c. quæ ibi prolixe addit. Denique *cap.* 28. *ejusdem Libri* ait: „ In ipſo etiam ſermone malit rebus placere, quam „ verbis, nec exiſtimet dici melius, niſi quod dici- „ tur verius, nec Doctor verbis ſerviat, ſed verba „ Doctori. Hoc eſt enim, quod Apoſtolus ait: „ *Non in ſapientia verbi, ne evacuetur crux Chriſti.* „ Ad hoc enim valet etiam, quod ait ad Timotheum: „ *Noli verbis contendere* &c. Verbis enim conten- „ dere eſt non curare, quomodo error veritate vin- „ catur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur „ alte-

* Cicero *in Oratore n.* 77. & 78.

** Alludit ad locum *Hieremiæ* 5. paulo ante a ſe allega- tum: Et *plebs mea dilexit ſic.*

„ alterius. „ Maxime autem iſtuc urget S. Doctor, ut coram rudibus non quidem ut vellemus, atque etiam poſſemus, ſed ut auditori prodeſt, loquamur. Verba inſignem habent unctionem, & quæ ſane optandum eſt, oratoribus omnibus chriſtianis quam notiſſima, ac commendatiſſima eſſe. Conſolaturus enim Concionatorem, aut Catechiſtam, exemplum Filii Dei demittentis ſe usque ad infirmitates noſtras, & facti parvuli, matris item cibos prius mandentis, & filio in os ingerentis, demum gallinæ pullos ſuos ſub alas congregantis adducit. Eandem gratiam & illa habet ſimilitudo, qua *cap.* 12. *ibidem* eſt uſus.

S. Paulinus præcellens Orator, de cujus eloquentia mirificum habemus Hieronymi elogium *Epiſt.* 13. *ad ipſummet Paulinum*, quomodo pigmenta Rhetoricæ, fucumque, & numeros orationis abjecerit omnino, nequa in tanta argumenti ubertate fruſtra iteranda ſint, alibi opportunius dicetur.

Caſſianus Collat. XIV. cap. 6. ex ore Abbatis Neſteros eleganti metaphora de viris ſanctis, & Apoſtolorum imitatoribus ait: „ Non inani foliorum dilatabantur luxuria, ſed veris ſpiritualis „ ſcientiæ fructibus curvabantur. „

S. Petrus Chryſologus Serm. 18. inſtituta comparatione cum tritico & floribus, ita non ineleganter loquitur: „ Quid ſpiritualis intelligentiæ lateat, „ ſi ſcire volumus, verborum floſculos non quæramus. Qui maturitatis fructum quærit, deſpicit „ amœna camporum. Violæ, roſæ, lilia, narciſſus „ grati flores: ſed gratior panis. Quod eſt odor „ naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus: quod „ dat panis vitæ, hoc ſcientia dat ſalutis. Sepo„ nenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quando „ ſcientiæ depoſcitur fortitudo. „

S. Iſidorus Peluſiota eloquentiſſimus licet, qua tamen eſt gravitate, floſculos verborum omnino

 pueri-

puerilitatis damnat *Libr.* 4. *Epiſt.* 30. Idem *Libr.* 5. *Epiſt.* 20. queritur: „ Vehemens dicendi ſtudium „ mentes hominum mire hoc ſæculo invaſit. Ser- „ monum, inquam, ſtudium, non qui ad pruden- „ tiam, ſed ad voluptatem delectationemque au- „ ditoribus ingenerandam valent: non de rebus „ ſpiritualibus habiti, ſed de fallacibus: non de „ Apoſtolicis, ſed Demoſthenicis: non Propheti- „ cis, ſed contentioſis: non de animum exhila- „ rantibus, ſed auditum demulcere ſolitis: non „ qui vivida dicentis opera inſpirant; ſed qui pro- „ pter eloquentiam nudo, ac mortuo auditu ex- „ cipiuntur. Quid igitur faciendum? tacendumne? „ ſed hoc periculoſum eſt. An ergo loquendum? „ at id, quod dicitur, neque fructum, nec ope- „ rum affectum ſortitur; ſed in plauſum abit. „

S. Proſper, id eſt Julianus Pomerius, præclare etiam hoc argumentum tractavit. De accuratione dictionis elucubratæ inquit *Libr.* 3. *de vit. contemplat. cap. ult.* „ Non ſatago, nec mihi pudori eſt, „ ſi diſputatio mea, quæ forte probatur in rebus, „ aliquos verborum inanium ſectatores horrore „ incomptæ orationis offendat. Quia quod ab „ homine doctore ſtudendo non didici, id exhi- „ bere loquendo non potui. Et tamen cum ſen- „ tentiarum vivacitatem ſermo ex induſtria cultus „ enervet, & totam vim dictorum ſplendor elabo- „ ratus evacuet: quis non judicet, me affectatio- „ nem compoſitionis debuiſſe contemnere, etiamſi „ eam potuiſſem velut dicendi peritus implere? „ Quapropter ea mihi viſa eſt compoſitio ſatis or- „ nata, quæ conceptiones animi cum neceſſaria „ quadam perſpicuitate proferret, non quæ ille- „ cebris aurium deſerviret. Ea eſt enim, niſi fallor „ judicata latinitas, quæ breviter & aperte obſer- „ vata duntaxat uſitatorum verborum proprietate „ res intelligendas enuntiat, non quæ vernantis

„ elo-

„ eloquii venuſtate, atque amœnitate luxuriat. Et „ prudentibus viris non placent phalèrata, ſed „ fortia, quando non res pro verbis, ſed pro re- „ bus enuntiandis verba ſunt inſtituta. „ Solido profecto, cordate, atque etiam præter intentionem eleganter. Nec minus memoranda, quæ ejusdem operis *Libr.* 1. *cap.* 23. poſt illud Apoſtoli: *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia,* habet: „ Unde „ datur intelligi, inquit, quod non ſe debeat Ec- „ cleſiæ doctor de accurati ſermonis oſtentatione „ jactare, ne videatur non ædificare Eccleſiam „ velle, ſed magis ſe, quantæ ſit eruditionis, oſten- „ dere. Non igitur in verborum ſplendore, ſed „ in operum virtute prædicandi officium ponat, „ non vocibus delectetur populi clamantis, ſed „ fletibus, nec plauſum a populo ſtudeat expecta- „ re, ſed gemitum. Hoc ſpecialiter Doctor eccle- „ ſiaſticus elaboret, quo fiant, qui audiunt eum, „ ſanis diſputationibus meliores, non vana aſſen- „ tatione fautores. „ Et *ibidem* infra. „ Tam „ ſimplex ait, & apertus, etiamſi minus latinus, „ diſciplinatus tamen, & gravis ſermo debet eſſe „ Pontificis, ut ab intelligentia ſui nullos quan- „ tumvis imperitos excludat, ſed in omnium au- „ dientium pectus cum quadam delectatione de- „ ſcendat. „

Claudianus Mamertus Libr. 3. *de ſtatu animæ adverſus Fauſtum Regienſem* hunc eloquentiæ ſæcularis totum apparatum vocat ſpumam puerilium verborum, quo imperitæ aures conſpuuntur.

Salvianus in Præfat. ad Librum 1. *de gubernat. Dei,* ita voce plena gravitatis, ſuccique virilis loquitur: „ Nos, qui rerum magis, quam verborum ama- „ tores utilia potius, quam plauſibilia ſectamur, „ neque id quærimus, ut in nobis inania ſæcula- „ rium ornamenta, ſed ut ſalubria rerum emolu- „ menta laudentur, in ſcriptiunculis noſtris non

„ lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ ſci-
„ licet non tam otioſorum auribus placeant, quam
„ ægrotorum mentibus proſint, magnum ex utra-
„ que re cœleſtibus donis fructum reportaturi. „

S. Gregorius Magnus Libr. 18. *Moral. cap.* 27.
„ Mundi ſapientes, inquit, cum virtute rerum
„ careant, aliud ſe eſſe, quam ſunt, verborum
„ compoſitionibus quaſi ſuperinductis coloribus
„ mentiuntur: at contra doctrina ſapientiæ & præ-
„ dicatione pulcra eſt, & pura veritate conſpicua,
„ nec aliud ſe per fallaciam prætendit exterius, &
„ aliud reſervat interius, neque in dictis ſuis pul-
„ cra videri appetit nitore ſermonis, ſed integri-
„ tate veritatis. „

S. Joannes Damaſc. Homil. de Transfigur. Dom.
„ Agedum igitur divinorum Oraculorum vocibus
„ quantum per nos licet, explicatis, vobis, quos
„ præclaros convivas, rerumque divinarum appe-
„ tentiſſimos nactus ſum, menſam apponamus,
„ menſam, inquam, veſtræ congruentem cupiditati,
„ divinorum menſam eloquiorum, quæ ſpiritus
„ gratia condita ſunt, non illam græcanica elo-
„ quentia luxuriantem (nam nec ejus ſcientia ad-
„ modum imbuti ſumus) ſed quæ gratia illius
„ fulcitur, qui blæſis linguam ad loquendum expe-
„ ditam tribuit. „

Agmen claudat ſæculi noni Scriptor *Angelomus in cap. ult. Geneſ. Sciat*, ait hic, *quia prudentes viri non compta, ſed utilia in ſcripturis requirunt, & eis non verba artificioſa, ſed dicta proficua placent; quia ſciunt, quod non res pro verbis, ſed verba pro rebus deſcribendis ſunt inſtituta.*

Addi præterea alia poſſunt, uti ex Origene *Hom.* 2. *in Jeremiam.* Lactantio *Libr.* 6. *cap.* 21. recte monente, ne averti nos elegantia dictionis ab amore veritatis patiamur. Arnobio *Libr.* 1. *adverſus Gentes prope finem* fuſe, & graviter. Lucifero Cala-

Calaritano *Libr. Moriendum eſſe pro filio Dei.* Nazianzeno *Orat.* 3. ubi Juliano Chriſtianorum ſcholas claudenti, cauſantique, Evangelium artes deſpuere, oſtendit pulcre, veritatem reapſe facundia ſæculi non magnopere indigere. Item *initio Orationis* 15. Ambroſio credito *commentar. in* 1. *ad Cor. cap.* 1. *ad illud: Non in ſapientia verbi.* Sed & in idem caput alium præterea locum habet. Chryſoſtomo in *Libris de Sacerdot.* Sulpitio Severo *Præfat. ad vitam S. Martini.* S. Hieronymo *Epiſt. ad Damaſum* 146. S. Iſidoro Peluſiota *Libr.* 4. *Epiſt.* 30. *cit.* Theodoreto *Libro* 1. *Libro* 8. *&* *Libro* 9. *de Græcar. affection. curat.* S. Gregorio Magno *Præfat. in Libros Moralium, S. Leandro inſcripta, cap.* 5. & alias ſæpius. Zacharia Mytilenæo *Libr. de mundi opificio* in *Biblioth. PP. Colonienſi Tom.* 6. *part.* 1. mihi *pag.* 568. Leontio Byzantino *Libr.* 1. *contra Neſtorium, & Eutychetem Tom.* 9. *Biblioth. PP. maj. columna* mihi 959. ubi ait, eloquentiam operoſius quærere artem eſſe hæreticorum, qua errores tegere conſueſſent. Guilielmo Pariſienſi *Libr. de virtutib. cap.* 11. S. Franc. Saleſio, ſpiritu veterum Patrum pleno, & exemplari eorumdem abſoluto *Libr.* 1. *Epiſt.* 38. denique Ludov. Bloſio *initio operum ſuorum.*

CAPUT II.

Oſtenditur aliis locis, & rationibus pariter ab omni retro ætate petitis, Patres moderatum nitorem, atque elegantiam, præſertim ubi ſponte ipſis oblata eſt, ac veluti ſub manibus enaſcebatur, nequaquam averſatos eſſe.

67. Alterum quod ſibi Patres circa cultum, ornatumque dictionis ſervandum propoſuere; illud eſt, uti eundem, quemadmodum non affectarent, quærerentque operoſe, ita nec reſpuerent omni-

omnino, aut negligendum putarent. Quin de quibusdam illorum id quoque affirmem, eos ſectatos fuiſſe Rhetoricam, & ſtudium artis hujus chariſſimis ſemper in rebus habuiſſe. Illi autem fuerunt, qui vel antea, quam ſacris admoverentur, eandem artem docuerant publice, aut certe alias a præſidiis & uſu ejus magis erant comparati. His autem quaſi ſuapte ſponte nata eſt eloquentia, ac ne cogitantibus quidem ultro ſe offerebat. Quod ſi vero, ubi tempus, locusque poſcebant, a lege ceterorum Patrum deflexerunt nonnihil, ſi tantiſper prioribus literis indulſerunt, ſincere pronuntio, merito tum quidem plus licuiſſe ipſis, atquè adeo recte, & jure quodam ſuo feciſſe. Tales Cyprianus maxime, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Salvianus, ex Græcis vero multo etiam plures extitere. Itaque res ipſa loquitur, & libri eorum per ſe oſtendunt, quod docere aggredimur. Verum juvat rationes quoque œconomiæ hujus a Patribus audiviſſe. Audiamus Lactantium tertio ex libris illis, quos *divinas Inſtitutiones* appellat, ubi *cap.* 1. eloquentiæ deſiderium prodit ſane luculenter. „ Vellem mihi, inquit, quando veritas in ob-„ ſcuro latere adhuc exiſtimatur, vel errore atque „ imperitia vulgi vanis & ineptis ſuperſtitionibus „ ſervientis, vel Philoſophis pravitate ingeniorum „ turbantibus eam potius, quam illuſtrantibus, etſi „ non qualis in Marco Tullio fuit (quia præcipua „ & admirabilis fuit) aliquam tamen proximam „ eloquentiæ contingere facultatem, ut quantum „ veritas vi ſua propria valeat, tantum ingenii „ quoque viribus nixa exereret ſe aliquando, & „ diſcuſſis, convictisque tam publicis, quam eo-„ rum, qui ſapientes putantur, erroribus, humano „ generi clariſſimum lumen inferret. Quod qui-„ dem duabus ex cauſis fieri vellem; vel quod „ magis poſſent credere homines ornatæ veritati,

„ qui

„ qui etiam mendacio credunt, capti orationis „ ornatu, lenocinioque verborum, vel certe, ut „ ipſi Philoſophi ſuis armis potiſſimum, quibus „ placere ſibi, & confidere ſolent, opprimerentur „ a nobis. „ Itaque ſummam quamdam eloquentiæ vim, & venuſtatem optat ſibi Lactantius proximam a principe oratorum, quantam ſcilicet cadere in mortalem poſſe putabat.

S. Gregorius Nazianzenus, qui & ipſe in Eloquentiæ ſtudio adoleverat, longius adhuc progreſſus eſt, & ſive ad gentilitatis reliquias, ſive hæreſum, & vitiorum exordia quædam abolenda, talem hujus artis amorem, exiſtimationem talem præſefert, ut majorem vix potuiſſet. Cum enim *Orat.* 12. tempori, auditoribus, imo ipſi Deo ſermonem grati animi teſtem pro pace Eccleſiaſtica offerret, commodiſſimum, ut loquitur, ſacrificium, donum auro purius, eximiis gemmis præſtantius, texturis magnificentius, legalibus omnibus ſacrificiis ſanctius, atque ſacratius, ita ſubdit: „ Hoc Deo offero, „ hoc appendo, ac conſecro, quod unum mihi „ reliqui feci, quo uno dives ſum. Nam cetera „ quidem mandato, & ſpiritui reliqui, ac pretio- „ ſam margaritam cum omnibus iis, quæ quon- „ dam habebam, commutavi, factusque ſum, aut „ ut rectius loquar, fieri opto magnus ille nego- „ tiator, qui exiguis rebus, atque omnino peri- „ turis magna, & æterna emit: ſolum autem ſer- „ monem complector, utpote verbi famulus, ne- „ que unquam libens hanc profeſſionem neglexe- „ rim, quin potius eam & colo, & exoſculor, „ ex eaque majorem voluptatem capio, quam ex „ omnibus aliis rebus in unum coactis, quibus „ plerique delectantur. Atque hunc mihi totius „ vitæ ſocium, & probum conſiliarium, atque „ congerronem, ducemque viæ in cœlum ferentis, „ ac promptum commilitonem aſciſco. Et quia „ jucun-

„ jucunditatem omnem humi ſitam aſpernor, in „ eum omnis meus amor poſt Deum effuſus eſt, „ (vel potius in hunc quoque, quoniam ad Deum „ cum prudentia fert) per quem ſcilicet etiam „ ſolum Deus ſincere percipitur, & conſervatur, „ atque in nobis adoleſcit. „ Et quæ deinceps alia graviſſime, ut ſolet dicit in eandem ſententiam. Sed & alibi quoque ſcilicet *Orat.* 3. ait. „ Nam „ cetera quidem omnia volentibus reliqui, opes, „ generis nobilitatem, gloriam, potentiam, cete„ raque, quæ terrenæ hujus jactationis ſunt, & „ vanæ, ſomniisque ſimilis oblectationis. At ſer„ mones ſolos complector, nec habeo, quod la„ bores tum terra, tum mari ſuſceptos incuſem, „ qui eos mihi compararunt. * Atque utinam „ mihi, amicisque meis ſermonum robur adſit, „ quod primum poſt id, quod primum eſt, am„ plexatus ſum, atque etiamnum amplexor, hoc „ eſt, poſt divina, & ſpes ab oculorum ſenſibus „ remotas. „

Divus quoque Auguſtinus, etſi dimiſiſſet a ſe Rhetoricam, perpetuis jam curis, atque negotiis diſtentus, ejus tamen amorem, & cupiditatem non dimiſit. Eloquens quam maxime eſſe volebat, ſed ſine labore multo, quantumque per graviora illa licere ſibi jam poterat. Nam ſane pleraque, quæ ſcripſit Auguſtinus emendare nunquam potuit, neque chartis ante illevit, ſed quæ præſtantiſſimo ingenio celerrime conceperat, promptitudine eadem profudit. Itaque ubi cum diſertis hominibus rem ille, & certamen habebat, querebatur ſane deſtitutum ſe ſcribendi præſidiis, quæ vellet

* Reſpicit hic itinera eloquentiæ ſtudio Cæſaream Palæſtinæ, Alexandriam, Athenas ſuſcepta, ubi a peritiſſimis Magiſtris eandem perdiſceret penitus, atque combiberet.

vellet extricare ſatis non poſſe, quod rebus ſcilicet aliis, quaſi vinculis quibusdam undique retineretur. Ita memini S. Doctorem, ubi contra Creſconium Grammaticum ſcribit, ſuſpirare adeo præ deſiderio negatæ ſibi facultatis. *Utinam*, ait, *eloquentia mihi ad explicanda ea, quæ ſentio, pro deſiderio proveniſſet!* Quæ verba non ſunt ſane tranſeunda. Sicut enim viri admirabilis juſti quidam libri, quos limare nonnihil licuit, quantam habuerit eloquentiam, oſtendunt, ita breviſſima hæc ſententia, quantam habere voluerit, quantaque ejus cupiditate teneretur, luculenter declarant. *Utinam*, inquit, *proveniſſet!* quæ vox certe extemporariam ſignificat facultatem, quam in numerato quis jam habeat, etſi quo nunc in promptu ſibi eſſet, non magnopere antea laboraret.

Sed & Salvianus, & alii quidam, qui modo non occurrunt, idem dicendi præſidium nonnunquam ſibi exoptarunt. „ Vellem mihi, ait ille, „ hoc loco ad exequendum rerum indignitatem, „ parem negotio eloquentiam dari, ſcilicet, ut „ tantum virtutis eſſet in querimonia, quantum „ doloris in cauſa! *Libr. 6. de gubernat. Dei verſus finem.*

Itaque patet, adamatam a quibusdam Patribus, & valde etiam expetitam eloquentiam fuiſſe, ſed loco videlicet ſuo, & tempore, iisque de cauſis, quæ non dico reprehenſionis nihil haberent, ſed laudem quoque, ac commendationem ex ſanctitate finis mererentur. Quoniam vero non pauci cognoſcere volent cauſas, quibus ad ornandam orationem impulſi Patres fuerunt, paulo magis diducenda hæc diſputatio eſt, quo ſcilicet, ubi omnibus non poteſt, pluribus ſaltem ſatisfiat. Cauſas autem iſtas proferre, & in luce etiam collocare volumus ipſorum Patrum verbis, id quod præſtare arduum non fuerit omnibus illis, quot-

quot

quot in eorum lectione tantiſper ſunt exercitati; paſſim enim rationem ejuſcemodi œconomiæ etiam interiorem reddidere.

68. Primo loco iſta commemoranda eſt, quæ a diffuſione, & incremento Eccleſiæ ducitur. Scilicet miracula, quæ in exordio Religionis plurima, illuſtriſſimaque contigerunt, fide jam magis ſtabilita ceſſaverant, aut decreverant certe: ſicque humana deinceps præſidia arripienda fuerunt, & ſanctitas naturæ viribus adjuvanda, ita quidem, ut his Deus ſuum quoque auxilium, & ſalutem plurimorum alligaret. Audiamus ea ſuper re S. Gregorii Nazianzeni graviſſimam, ſapientiſſimamque ſententiam. Inter alia, quæ nefarii homines vitio illi dabant, eloquentia quoque, & plauſus popularis fuit; is nimirum, ut inſolitus, nec viſus ante ea tempora, invidiam plurimorum concitabat. Ad hoc igitur accuſationis caput ita ſe expurgat Nazianzenus Oratione ſeptima & viceſima *de ſe ipſo, & ad eos, qui ipſum Cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant.* „Quoniam autem non „aliam ob rem bello petimur, quam propter elo„quentiam, & ſupervacaneam hanc, & invidio„ſam linguam, quam in profanis doctrinis erudi„tam, divinis poſtea nobilitavimus, ſalſamque „illam & amaram Maram per vitæ lignum dulcem „reddidimus: affectum ſane induiſtis animis inge„nuis, & liberalibus dignum: hoc amatis, ob „quod impugnamur. Cur enim mutam eruditio„nem amplexi non ſumus? cur non aridam, & „humi reptantam? cur cum ea pleroſque delecta„ri conſpiceremus, in peregrina quædam, & aliena „ſtudia incumbebamus, atque adverſariis linguis „obſiſtebamus, cum contra oportuerit ratiocina„tiones per temeritatem defugere, ac mutuæ in„ſcitiæ fidei nomen imponere? Quam ipſe quo„que, mihi credite, complexus eſſem, ut piſca-

„tor

„ tor * (quandoquidem hoc multis ad inſcitiæ „ prætextum in promptu eſt) ſi ſermonis, ac do- „ ctrinæ loco ſignorum, & miraculorum vim ha- „ berem. „ Magiſtri ſui ſenſum acriori adhuc ſale Hieronymus aſperſit, quando *Epiſt.* 101. *ad Pammachium* perfricat malevolos, qui, cum ipſi circa opes & delicias religione nulla tangerentur, eloquentiam ſibi vitio vertebant, ejusque uſu graviter offendi ſe querebantur. „ Venerationi, ait, mihi „ ſemper fuit non verboſa ruſticitas, ſed ſancta ſim- „ plicitas. Qui ſermone imitari ſe dicit Apoſtolos, „ prius imitetur virtutes in vita illorum, in loquen- „ do ſimplicitatem excuſabit ſanctimoniæ magni- „ tudo, & ſyllogiſmos Ariſtotelis, contortaque „ Chryſippi acumina reſurgens mortuus confutabit. „ Ceterum ridiculum, ſi quis e nobis manens inter „ Cræſi opes, & Sardanapali delicias de ſola ruſti- „ citate ſe jactet. „ In eodem quoque argumento verſatus eſt Chryſoſtomus in *Libris de Sacerdotio*, & fuſiſſime rurſum Nazianzenus *Tom.* 2. *Oratione de Epiſcopis*.

Sed ne cui in mentem veniat mirari, cur Deus, qui Apoſtolorum temporibus ſtulta mundi elegit, ut confunderet ſapientes, poſtea literatos, dicendique peritos adhibere maluerit, illud cogitet, quare divites, quare nobiles, quare ipſos Reges, & Principes elegerit ad dilatandum regnum ſuum, quos ante plus quam ſapientes averſatus eſt, & a prædicando prohibuit? Ergo S. Chryſoſtomus acute reſpondet, id ipſum ea de cauſa feciſſe, uti oſtenderet, ſe quemadmodum tum minime opus habebat tales homines conducere, ita poſtmodum, cum ſe ipſi ultro ad imperitos aggregaſſent, perſonarum diſcri-

* Apoſtolos indigitat, nullo verborum apparatu, uti hoſtes objiciebant, ſed ſola ſimplicitate uſos in prædicando.

diſcrimen nullum facere, ſed utrorumque opera uti, neque ullius jam labores dedignari. „ Qui ergo „ eruditis, inquit, ab initio opus non habuit, ut „ errorem depelleret, ſi poſtea eruditos admiſit, „ non quaſi illis indigens hoc fecit, ſed quaſi non „ diſcernens. Sicut enim Sophiſtis * hujusmodi non „ egebat ad id, quod volebat, perficiendum, ita „ ſi poſtea illos inveniret, non rejiciebat. „ *Homil.* 3. *in* I. *ad Cor. circa medium.*

69. Altera Ratio priori conſerta, nec minus plauſibilis, cur Patres orationem comerent, fuit genius hominum, qui in Eccleſiis ubivis gentium convenire ſolebant, atque ad veritatem jam alliciendi erant, jam in ea retinendi. Plurimi inter eos numerabantur literis imbuti, qui velut a ſcholis ad ſacra noſtra gradum fecerunt. His autem veritas, ubi nudam exhibuiſſes, per ſe non ſolum grata futura non erat, verum etiam odioſa. Ne ergo inæqualitate ſcribendi, & barbarie dictionis retraherentur a vera ſapientia, cum primis providendum fuit, uti ſplendore quodam orationis obſcuritas myſteriorum, & aſperitas præceptorum temperaretur. Quo ſane & illud obtentum eſt, minime quidem ſpernendum, uti Scripta Poëtarum, & Philoſophorum excuti ſibi e manibus paulatim ſinerent, quos ſecus ægerrime poſuiſſent. Audiamus, quæ hanc in rem Lactantius temporum eorum accuratiſſimus cognitor ipſo initio libri primi diſputat mira elegantia, atque ubertate: „ Quid igitur, ait, operamne perdemus? minime; nam ſi lucrari hos a morte, „ ad quam concitatiſſime tendunt, non potuerimus, „ & ab illo itinere devio ad viam lucemque revocare, quoniam ipſi ſaluti ſuæ repugnant: noſtros tamen confirmabimus, quorum non eſt ſtabilis,

* *Sophiſta* ea tempeſtate Græcis oratorem ſignificabat, honorifico, non ut hodie ſolet, injurioſo vocabulo.

„ bilis, ac ſolidis rationibus fundata, & fixa ſen-
„ tentia. Nutant enim plurimi, ac maxime, qui
„ literarum aliquid attigerint. Nam & in hoc Phi-
„ loſophi, & Oratores, & Poëtæ pernicioſi ſunt,
„ quod incautos animos facile irretire poſſunt ſua-
„ vitate ſermonis, & carminum dulci modulatione
„ currentium. Mella ſunt hæc venenum tegentia.
„ Ob eamque cauſam volui ſapientiam cum religio-
„ ne conjungere, ne quid ſtudioſis inanis illa do-
„ ctrina poſſet officere, & jam ſcientia literarum
„ non modo nihil noceat religioni, atque juſtitiæ,
„ ſed etiam proſit quam plurimum, ſi is, qui eas
„ didicerit, ſit virtutibus inſtructior, & in veritate
„ ſapientior. „ Eandem rationem amplius diducit Lactantius verbis, quæ prioribus conjuncta ſunt, quibusque indulgendum aliquid cenſet infirmitati humanæ, adhibendumque hoc medium attentionis parandæ, tanquam unicæ viæ, qua ad corda perveniretur. Sunt autem ea verba graviora ſane, & pulchriora, quam ut præterire ea hoc loco oporteret. Sic ergo ait: „ Circumlinatur modo pocu-
„ lum cœleſti melle ſapientiæ, ut poſſint ab impru-
„ dentibus amara remedia ſine offenſione potari,
„ dum illiciens prima dulcedo acerbitatem ſermo-
„ nis aſperi ſub prætextu ſuavitatis occultat. Nam
„ hæc imprimis cauſa eſt, cur apud ſapientes, &
„ doctos, & principes ſæculi Scriptura Sancta fide
„ careat, quod Prophetæ communi, ac ſimplici
„ ſermone, ut ad populum, ſunt locuti. Conte-
„ mnuntur itaque ab iis, qui nihil audire vel lege-
„ re, niſi expolitum, ac diſertum volunt, nec
„ quidquam inhærere animis eorum poteſt, niſi
„ quod aures blandiori ſono permulcet. Illa ve-
„ ro, quæ ſordida videntur, anilia, inepta, vul-
„ garia exiſtimantur. Adeo nihil verum putant,
„ niſi quod auditu ſuave eſt, nihil credibile, niſi
„ quod poteſt incutere voluptatem. Nemo rem

„ veritate ponderat, ſed ornatu. Non credunt
„ ergo divinis, quia fuco carent. Sed ne illis qui-
„ dem, qui ea interpretantur, quia ſunt & ipſi aut
„ omnino rudes, aut certe parum docti; nam ut
„ plane ſint eloquentes, perraro contingit. „ Si-
milia & alibi habet Lactantius. Auguſtinus vero ad-
vertit, moroſos eſſe plurimos ex auditoribus. Quod
ſi ergo eos lucrari velis, cum ſcias, non ſolum au-
dire velle, ſed audientiæ præterea illecebram ha-
bere, quomodo eos tenebis, ne evagentur, ne diſ-
fugiant, magis vero, ut redeant palantes? „ Quis
„ tenetur, ait *Libr.* 4. *de doctr. chriſtian. cap.* 16. ut
„ audiat, ſi non delectetur? „ Et jam ante *eodem
cap.* „ Quis eum velit audire, niſi auditorem non-
„ nulla etiam ſuavitate detineat? „ Sed feliciſſime
S. Doctor ſimilitudine quadam id expreſſit, quæ
ſane nulli non plurimum arridere debet. Vel ci-
bos enim monet, etſi tam neceſſarii ſint, ut vita
hæc absque illis conſtare non poſſit, condiri nihilo-
minus debere, & cura magna præparari, ne nau-
ſeam creent, & faſtidiantur a quam plurimis: ita
& verbo Dei, eſto neceſſarium ſumme ſit omnibus,
voluptatem adjungi oportere. „ Quoniam (ipſa
„ enim ejus verba admetienda ſunt) quoniam inter
„ ſe habent ſimilitudinem nonnullam veſcentes,
„ atque diſcentes, propter faſtidia plurimorum,
„ etiam ipſa, ſine quibus vivi non poteſt, alimen-
„ ta condienda ſunt. „ Quæ autem eſca, quæ con-
dimenta, quæ bellaria, qui ſapores, niſi quos elo-
quentia ſuppeditat? Hæc omnia plena manu expro-
mit ars oratoria, Id quod iterum Auguſtinus alibi
Libr. de ordine cap. 13. ſcite de ea dixit: „ Eſſe il-
„ lam refertiſſimo gremio deliciarum, quas popu-
„ lo ſpargat, ut ad utilitatem ſuam dignetur ad-
„ duci. „ Sed quid Auguſtini verba identidem re-
fero, qui ſuo melius exemplo, quam quibuscun-
que verbis id ipſe poſſit comprobare. Cum enim
veniſ-

veniſſet Mediolanum, & doctrina, & moribus perverſis, S. Ambroſii conciones ob famam eloquentiæ ejus acceſſit, non ut diſceret, quæ dicebantur, aut faceret, ſed ut falleret tempus, videretque, num viri famæ oratio reſponderet. Placuit Orator, & etſi non ita hilareſcerent verba, ſicut Fauſti Manichæi, quod nitide tamen, ſolideque diceret, captus denique & ad meliora traductus eſt. Legatur *cap.* 13. *&* 14. *Libr.* 5. *Confeſſionum.* Ubi præcipue notanda ſunt illa pulcherrima verba, & huc quam maxime facientia. „ Cum non ſatagerem diſcere, quæ „ dicebat, ſed tantum, quemadmodum dicebat au„ dire: veniebant in animum meum ſimul cum ver„ bis, quæ diligebam, res etiam, quas negligе„ bam. Neque enim ea dirimere poteram. Et „ dum cor aperirem ad excipiendum, quam di„ ſerte diceret, pariter intrabat, & quam vere di„ ceret. „ Ita nempe natura comparatum videmus, ut cum proclives cuncti, imo præcipites feramur ad vitia: ad virtutem non niſi inviti pertrahamur. Ergo illicio quodam, ac veluti eſca opus habent homines, ut dum facundiæ cauſa legunt, vel audiunt aliquid ſalutare, quaſi aliud agentes ad amorem ſtudiumque ejus adduci ſe facilius patiantur. Quid enim? num pœnis adigemus populum, ut nos audiat? & ſi id poſſemus: quid impetrabimus ab invitis? certe nulla re magis deſeri templa videmus, & ſolitudinem fieri e concione, quam cum illi Apoſtolorum ſcilicet imitatores contenti ſunt, ſi audiantur, quomodo vero, quamque libenter id fiat, nihil admodum penſi habere ſolent. Numquid hoc eſt loco pellere eos, quos modis omnibus pellicere oportebat, ſponte licet accurrentes? Rectiſſime ergo magnus Auguſtinus, Lactantiusque ſenſerunt, cultum aliquem ſermonis ſive in capiendo homines ad ſalutem, ſive in retinendo valere quam plurimum; atque adeo minime eſſe a chri-

ſtianis oratoribus negligendum. Et coævus Scriptor vitæ S. Hilarii Arelatenſis fuſe docet, familiare huic fuiſſe, uti pro re nata & tumentem eloquentiam deprimeret, & humilem ſermonem attolleret, quo factum, ut & docti & rudes pluribus etiam horis ab ore ejus penderent.

70. Jam ad tertiam rationem non reſpuendi ornatus, illam ſcilicet, quod non ſolum res de ſe mala non ſit, ſed magis etiam traduci a Chriſtianis ad veritatem poſſit, quam ab Ethnicis ad vanitatem adhibitus eſt: modo purgetur ante a ſordibus ſuis, aut velut opes Egypti, & donaria Idolis oblata ad Tabernaculum novi fœderis decorandum, uſumque ſanctiorem exportetur. Volente igitur Deo ereptus eſt gentilibus, quorum ante fuit, ne aut otioſus jaceret apud eos, aut nobis minus certe, quam illis commodaret. Ita ipſis delubris deorum factum, quæ expiata ſunt pleraque, ſi elegantia erant, & ex dæmonum receptaculis in domos Dei abierunt. Quid enim? An non omnia ad Deum ſpectant? An non donum Numinis eſt eloquentia? An non ea recte uſi Moſes, Job, Iſaias & alii ſacri Scriptores *? Quod ſi vero de hoc nemo dubitat: quorſum referenda tandem eſt ars illa? An ad vana potius, quam vera, an pro rebus creatis magis, quam creatore adhibeatur? Dum ergo vitia eloquentium hominum tollunt dogmata noſtra, non ſane eloquentiam ipſam ſuſtulerunt. Ita S. Gregorius Nazianzenus, toties in hoc negotio laudatus, *orat.* 20. eleganter uti ceteram doctrinam, ita eloquentiam præcipue defendit, ut quæ æque ad bona adhi-

* **Quando curſum Scripturæ meminimus, cogitet Lector, quantus ſæpe ſplendor, quæ elegantia, quis delectus, apparatusque verborum e divinis illis libris eluceat. Uti ergo Patres quoſdam eorum ſimplicitatem imitatos conſtat, ſic contra ceteri ornamenta quoque ſectari potuerunt.**

adhiberi a nobis poteſt, atque ab aliis ad malum adhibita fuit. Sed & Auguſtinus hoc argumentum potenter urget. Juvat ex Libro ejus 2. *de doctr. chriſt. cap.* 39. plagulam uti eſt integram huc tranſcribere, quod mire faciat ad rem propoſitam, nec indiligenter ſit exornata. *Sicut Egyptii*, ait, *non ſolum idola habebant, & onera gravia, quæ populus Iſraël deteſtaretur, & fugeret, ſed etiam vaſa, atque ornamenta de auro, & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Egypto ſibi potius tanquam ad uſum meliorem clanculo vendicavit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei ipſius, Egyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur: ſic doctrinæ omnes gentilium non ſolum ſimulata, & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris habent, quæ unuſquiſque noſtrum duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens debet abominari, atque devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos. Quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infuſa eſt, eruerunt, & quo perverſe, atque injurioſe ad obſequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis aufferre Chriſtianus ad uſum juſtum prædicandi Evangelii. Veſtem quoque illorum, id eſt, hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata divinæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere, atque habere licuerit, in uſum convertenda chriſtianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nonne aſpicimus, quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Egypto Cyprianus Doctor ſuaviſſimus, & Martyr beatiſſimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus*

Moyſes fecerat; de quo ſcriptum eſt, quod eruditus fuerit omni ſapientia Egyptiorum. Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa gentium conſuetudo, & maxime illis temporibus, cum Chriſti jugum decutiens Chriſtianos perſequebatur, diſciplinas, quas utiles habebat, nunquam commodaret, ſi eas in uſum unius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus exſcinderetur, converſum iri ſuſpicaretur. Sed dederunt aurum, & argentum, & veſtem ſuam exeunti populo Dei de Egypto, neſcientes, quemadmodum illa, quæ dabant, in Chriſti obſequium redderentur. Illud enim in Exodo factum ſine dubio figuratum eſt, ut hoc præſignaret. Idem jam ante brevius obſervavit Gregorius Nyſſenus *Part. 2. vitæ Moyſis*, de Baſilio loquens.

Quam vero Reipublicæ Chriſtianæ proſpere, quamque feliciter id evenerit nihil attinet dicere, & me etiam tacente notiſſimum eſt. Certe ſtylo diſertorum hominum magis propagata, defenſaque Religio eſt, quam armis impiorum acciſa, & oppugnata; nec parum facit ad gloriam Eccleſiæ, quod ex caſtris ipſis inimicorum tot, & tam glorioſos pugiles ad propugnacula ſua collocarit, qui hoſti cladem, & vaſtitatem ingentem afferrent. Unum ex iis, quos ſupra Auguſtinus retulit, in medium produco, Lactantium ſcilicet, qui etſi alias laudatus eſt pro merito, rurſum allegari debet; quando neminem ſcio, qui plura gentilitati vulnera inflixerit, & in argumento noſtro fuſius elegantiusque etiam excurrerit. Hic porro ubi dixit, quomodo a foro, & cauſis privatorum ad Eccleſiam propugnandam tranſiviſſet, iſtuc *Initio Inſtitutionum* ſubdit: *Multum nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc majori copia, & facultate dicendi cauſam veritatis peroremus. Quæ licet poſſit ſine eloquentia defendi, ut eſt a multis ſæpe defenſa; tamen claritate, ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodammodo diſſerenda eſt,*

ut potentius in animos influat, & vi ſua inſtructa & luce orationis ornata.

71. At ecce! ſic ultimam quoque rationem jam attigimus, in qua præcipue ſeſe neceſſitas eloquentiæ oſtendit. Quæ vero iſta eſt? quod ſæpe contra ipſos eloquentes cominus quaſi, & viritim ſuit a Patribus decertandum; cum vulgus, quod ornatius dicitur, etiam verius dici arbitratur. Quis enim neget, tunc apparatum ejus omnem expromendum, tunc velut extortum inimico gladium, quem ipſe limaverit, ita tractandum, ut in jugulum ejus vel ventrem totus adigatur? Hanc rationem Divus Hieronymus Magno, oratori Romano, dedit. Cum enim hic a Ruffino ſubornatus quæſiſſet ab eo, cur in opuſculis ſuis ſæcularem eloquentiam ſectaretur, candoremque Eccleſiæ gentilium ſordibus pollueret, inter alia reſpondit: *Id eſſe diſcere a vero David extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare* *. Et ſane de hoc gladio rectiſſime dici poteſt, quod *Libr.* 1. *Regum cap.* 21. de priore illo eſt dictum: *Ecce hic gladius Goliath Philiſtæi, . . . eſt involutus pallio poſt Ephod* (& inter res ſacras ſervatur) *ſi iſtum vis tollere, tolle; neque enim hic eſt alius abſque eo. Et ait David* (qui ſcilicet aciem ejus, & vim tractando noſſet) *non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Nec minus huc pertinet, quod itidem ſacer Hiſtoricus *Libr.* 1. *Machab. cap.* 2. in eundem fere ſenſum commemorat: *Et accepit ſpolia eorum, & gladium Apollonii abſtulit Judas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.*

Quemadmodum enim & contra gentes, & hæreticos certamine inito neceſſarium Patres habuerunt, uti *argumenta ad hominem* adhiberent, ſicque in ipſa errorum luſtra penetrantes, belluas in late-

* *Epiſt.* 84, *nunc* 70.

bris ſuis caperent, eductaſque inde, & jugulatas ſpectaculo exponerent: ita etiam cultu ſermonis, ipſaque eloquentia externa faciendum ſibi putaverunt; non eo utique animo, quaſi ſine his præſidiis nutaret Religio, quæ per ſe ſola toties, maxime iis temporibus triumphavit; ſed uti eandem contra inſtructum hoſtem munirent magis, & plus illa celebritatis inveniret, dum uno proſtrato ceteri omnes certamine excedunt, atque etiam a rudibus impugnandis, & infeſtandis deinceps ceſſatur. Succreverunt enim identidem novi hoſtes Religionis, qui ipſo illo ſermone inculto, jejunoque provocati, dum Principes ferro & igne ſæviunt in corpora, ſtringebant calamum ad mentes pervertendas. Cum vero cauſam erroris, quam ſuſceperant, copioſe, ornateque tuentur, ac inviſam ſibi veritatem non ſine plauſu laceſſunt, inferior illa multis capitibus videri poterat, ut quæ lucem ſubterfugeret, pugnamque detrectaret. *Quia deſuerunt apud noſtros* (ait Lactantius *eodem loco*) *idonei, peritique Doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui cauſam omnem veritatis ornate, copioſeque defenderent, provocavit quoſdam hæc ipſa penuria, ut auderent ſcribere contra ignotam ſibi veritatem.* Itaque ab ipſismet hoſtibus mutuata arma ſunt, & ut æquo marte pugnaretur, in ſubſidium laborantis cauſæ eloquentia vocata, non ut primas, ſed ſecundas tantum ſicut in certamine, ita & triumpho reportaret. Præclarum conſilium, & ad ſalutem plurimorum ſuſceptum! ſic enim non ſola jam patientia, non ſolum corpus oppoſitum furenti ſuperſtitioni, ſed ingenio quoque, ac ſtylo decertatum eſt, & utilitas latius in dies cœpit manare, quæ ſecus ad paucos, certe non omnes erat perventura. Sed tibi ſcilicet nondum ita videtur? indignamque adhuc putas elegantiam, quæ ad res tantas velut in ſubſidium adhiberetur? itaque

in memoriam revoca, quæ ſuperius, ubi de eloquentiæ actibus generatim ſermo fuit, ex Auguſtino allegabam *, videbis ratiocinationem S. Doctoris & huic loco egregie profecto convenire. Queritur ibi, eloquentiam haud raro ad malas etiam artes detorqueri ab hominibus: mox concitatior interrogat: num ergo deteriorem veritatis, quam mendacii conditionem facere, cumque iſtud armatum decertat, hanc inermem velimus relinquere? An ubi prava ſuadentes capiunt, tenentque animos, & quo lubet impellunt, illos, qui recta docent, ne quidem intelligi ab auditoribus oporteat, & loco attentionis, ac fructus nil niſi tædium referre? Quod ergo Auguſtinus de dicendi officiis quibuscunque univerſe diſputavit, illud ipſum & ego hic de ornatu, & nitore ſermonis uſurpem, ut qui non poſtremum ex iis eſt, quibus affici, auditores, & delectari conſueverunt. Certe mortalium plurimi ſummo ſtudio in ornatam cultamque orationem feruntur, & oratores Sæculi, qui ſciant, quantum illa efficere poſſint, in hanc præcipue curam incumbunt, quomodo ſuavitate verborum aures concutere poſſint, & faſcinare. Sed ipſa Auguſtini verba ibi relege, & expende tecum, videbis ſine exceptione eum loqui, & rem ita verſare, ut iſtuc quoque, de quo agimus, perſuadeat plane, & locum dubitationi nullum relinquat.

Ne ergo quis putet temere jam abjectam a Patribus eloquentiam, jam reſumptam eſſe: potius verbis Lupi Servati *de Trib. quæſtionib.* ita concludat: *Noſtri autem Auctores facile ſapientia ſuperiores, quia divina eloquentia parent, quam, cum volunt, éxerunt, cum volunt, abſcondunt.*

Porro, qui aliorum quoque Patrum de ornata dictione ſententias deſiderat, adeat Clementem Alexandr.

* Libr. 4. *de doctr. chriſtian. cap.* 2.

xandr. *Libr.* 1. *Stromat.* S. Baſilium Magnum *Homil. de Legend. libr. gentil.* S. Gregorium Nazianz. *orat.* 20, & *orat.* 3. ubi eloquentiam oſtendit commune bonum eſſe, quo Chriſtianos non niſi probro ſuo inſigni Julianus ſpoliaret: nec diſſimulat, quod per ſummam injuriam eripi ſibi eam minime eſſent paſſuri. Item S. Chryſoſtomum in *Libris de Sacerdotio.* S. Hieronymum Epiſt. citata ad *Magnum.* Item *Epiſt.* 146. *nunc* 21. *ad Damaſum*, & in *Libris*, quos *adverſus Ruffinum* ſcripſit. S. Auguſtinum *Libr.* 1. *contra Creſconium*, & *Libr.* 4. *de doctrina chriſtiana* pluribus locis. S. Cyrillum Alexandrinum *Libr.* 6. *in Joannem*, & fuſius *Libr.* 7. *contra Julianum Apoſtatam.* Iſidorum Peluſiotam *L.* 5. *Epiſt.* 281. Socratem *Libro III. Hiſt. cap.* 16. Joannem Saresberienſem in *Metalogico.* Hi omnes ſymbolam huc ſuam contulerunt, præcipue autem Syneſius, cujus præclarum ſane opus, quod *Dionem* inſcripſit, ſpeciatim eſt memorandum. In iſto enim & pondere ſententiarum, & argumentorum mira copia oſtendit, nec dictionis elegantiam, nec humanioris doctrinæ reliquum apparatum deeſſe illi debere, qui Doctorem eccleſiaſticum agere velit undecunque perfectum. Idem fere præſtat brevius *Epiſtola* 153. *ad Philoſophiæ Magiſtram* data. Ex noſtris vide antiquiſſimum editorem Operum S. Cypriani *anno* 1483. & alium in Editione Pariſina ejusdem Cypriani *anno* 1512, cujus ſolum initiales literæ exprimuntur, ad Jacobum Graſolarium. Item Petrarcham *Libr.* 1. *Senilium Epiſt.* 5. *ad Joannem de Certaldo*, ſeu Boccatium. M. Antonium Majoragium in *Oratione adverſus vituperatores ornatæ orationis.* Sichardum *Præfat. ad Libros Recognitionum S. Clementis.* Joannem Chriſtophorſonum *Præfat. in Hiſtoriam Eccleſ.* Alexandrum Politum *Orat. de humanior. literar. ad Chriſtian. Relig. uſum opportunit.* ordine VIII. Stephanum Baluzium in

Epiſto-

Epiſtolam I. *S. Cypriani.* Et Eraſmum *Libro* I. *Antibarbarorum fuſe.*

DISSERTATIO VII.

De comparatione eloquentiæ Patrum cum eloquentia Oratorum, qui poſt hominum memoriam diſertiſſimi fuerunt.

CAPUT I.

Minime mirum eſſe, quod Patres ad Auctorum quorumdam claſſicorum elegantiam, & vim dicendi non omnino pertigerint.

72. Non is ſum, qui eloquentiæ principatum adimere aliis, aliis dare ſive poſſim, ſive etiam velim. Non eſt laus perfecta deprimere externos, ut tuos attollas magis. Itaque ingenue fateor, mihi non tantum non anteferendos Patres, ſed nec æquandos quidem cum celeberrimis illis hominibus videri. Non indiget, mihi crede, illorum fama tanto mendacio. Ut enim rerum, & doctrinæ nulla eſt comparatio *, quando in ea nimium quantum Patres eminent, ſic contra nec eloquentiæ debet eſſe, in qua hos illi longiſſimo pariter intervallo poſt ſe reliquerunt. Equidem non me latet, quoſdam collatis inter ſe certis Patrum, & Oratorum ſeu locis quibuſdam, ſeu opuſculis pro Patribus pronuntiaſſe. Sed aliud ſcilicet eſt ex parte, aliud toto ſe, aliud ſubinde, aliud ſemper fieri ſuperiorem. Quandoquidem (ut inter

* Quantum, ſi res ſimul cum verbis ſpectentur, noſtri illis antecellant, eleganter oſtendit Hieronymus Brunellus Soc. Jeſu ante *volumen I. Oration. & Epiſtolar. ſelectarum ex PP. græcis.*

inter homines) & maximos Oratores cauſa cecidiſſe ſcimus, quam mediocres Cauſidici tuebantur, & ſummos quosque duces ab inferioribus fuiſſe ſuperatos. Recte itaque fecit Poſſevinus, quando in *Biblioth. Libr.* 18. *cap.* 10. epiſtolis Ciceronianis ſelectas e Patribus plurimas non opponere tantum, verum etiam præponere eſt auſus. In eo tamen ſentire cum eodem minime poſſum, quod ibidem in *Rhetorica cap.* 13. Chryſoſtomum Ciceroni anteferre velle eſt viſus; niſi forte, uti ego quidem autumo, id virtutum laborumque, ac fructuum magis intuitu, quam eloquentiæ reſpectu vir doctiſſimus faciendum ſibi exiſtimavit. Quo certe ſenſu nihil ego repugnabo, ſed accedam ſententiæ, & ſuffragium magnis vocibus adjuvabo. Scilicet Demoſthenes, & Cicero, politiſſimo quisque ſæculo, atque ad delicatiſſimas aures dixerunt, ubi nihil niſi perfectum ingenio, & elaboratum induſtria afferri oportebat, ubi nihil placebat, quod non & artis, & naturæ haberet plurimum, ubi tot alii cenſores aderant, qui & ipſi oratores magni eſſe poterant, niſi in ætatem eam incidiſſent, ubi cum ſummis committerentur. Et ſane laudes eorum, & dicendi characteres orbi notiores ſunt, quam ut repetere hoc loco neceſſum ſit. Novimus ex nomine Demoſthenem, *quem mirabantur Athenæ, torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.* Demoſthenem inquam, qui juxta Quintilianum *longe Princeps, ac pene lex orandi fuit*, qui, ut Cicero ait, *unus eminet inter omnes in omni genere dicendi*, quo dicente concio ut fluctus ingentes maris mota eſt, jam poſuit iterum, atque detumuit, de cujus lingua ita pendebant res Athenienſium, ut validior ejus oratio, quam arces & mœnia, haberetur, quemadmodum inimici quoque ejus, & adverſarii confeſſi ſunt. Ipſe Divus Iſidorus Peluſiota *Libro* 2. *epiſt.* 146. diſertis verbis affirmat, venerari ſe Demoſthenem,

nem, eumque maximo apud ſe loco, ac numero eſſe. *Cunctorum Oratorum præſtantiſſimum* ſalutat, *qui eloquentiæ omnis & fons & origo & regula poſteris extiterit.* De Cicerone nihil dico, niſi quod e mediocri fortuna ad ſumma eluctatus in illa luce, ac majeſtate Romana negotiis quodammodo imperitaret, tantaque in admiratione omnium eſſet, uti arbitratu ſuo videretur impellere Rempublicam, atque ad ejus clavum ipſum conſidere. Itaque hi duo ruperunt communes eloquentiæ terminos, progreſſique longius eo demum pervenerunt, quo vix oculis aſſequi eos liceat, ne dicam paſſibus exæquare. *

73. Manet igitur penes iſtos eloquentiæ principatus, quem ſæculorum, & gentium omnium conſtantiſſima conſenſio ipſis detulit, quosque ipſi Patres hoc nomine ſalutant frequenter, & commendaſſe non contenti, etiam imitari non raro ſtuduerunt. Quod ſi vero preſſius dicere ſententiam meam jubeor, duabus maxime rebus a profanis his Patres ſuperati ſunt. Primum *delectu, & proprietate* verborum in quovis genere dicendi: quo ſane, uti recte Quintilianus in *proœmio Libri* 8. advertit, maxime Orator Oratore præſtantior, & genera ipſa dicendi alia aliis potiora ſunt. In his autem duobus viris ea copia, ea eſt ſuppellex verborum, quam res ipſa peperiſſe videatur, non ſtudium aliquod accerſiviſſe. Mihi certe, quoties illos legi, novi viſi ſunt ſemper, & reguſtati plus placuerunt; quod ſcilicet una cum nominibus res ipſæ occurrerent mihi: ita voces ſenſibus inhærent, ita ſingulas imagines, ut animo propoſitæ ſunt, repræſentant, & veluti umbra corpus ſuum conſequun-

* Tullii elogium vide apud Plinium *Libro VII. Ep.* 30. & Quintilian. ſæpius, ubi etiam de Demoſthene.

ſequuntur. Hanc autem illi admirabilem facultatem non ſolum naturæ beneficio nacti mihi videntur, ſed quod improbo labore in ea defixi, mentem imaginibus pulcherrimis compleverint, & linguam conſuetudine diuturna ita expoliverint, ut quemadmodum res quælibet ipſo calore cogitationis concepta erat, ſic progigneretur in ore, & lingua efferretur.

Alterum, quo nemo aſſequi eos hucusque potuit, eſt admirabilis ille *ordo, numerus,* concentusque ipſius dictionis, quæ in menſione, ac modis quibusdam, imo aurium intimo ſenſu, faſtidioſoque judicio conſiſtunt. Hoc vero judicium a natura ita indultum eſt ſapientibus, ut nec indoctis negaretur, hoc uno diſcrimine, quod cum illi rationem ipſam componendi intelligant, iſti percipiant voluptatem. Quoties enim fit, ut alliſa quaſi dictione & auditor hæreat, & in popularibus etiam concionibus plebs univerſa exclamet, & plaudat, ubi apte verba cecidiſſent? Hanc vero dotem iſti ſummam habuerunt, verba velut ceram molliſſimam formantes, atque fingentes, ut quocunque illi ducerent, ſequerentur. Itaque ea rebus penitus accomodabant compoſitione ſua, mollibus teneros, duris vero tam aſperos etiam numeros adhibentes, ut cum dicente æque auditor exhorreſceret, atque aurium arbitrio animorum quoque motus converterentur. Junctam ergo ſemper orationem habent, lævem, & in duriſſimis etiam verbis æquabiliter fluentem, ut quemadmodum in ſtructura rudium quoque ſaxorum contingit, enormitas ipſa inveniat, cui applicari, & in quo conſiſtere poſſit. Nullibi autem id magis, quam in clauſulis eorum apparet, ubi ſcilicet & maxime ab omnibus ille numerus deſideratur. Aures enim, quæ continuam vocem pone ſequuntur, & velut prono decurrentis orationis flumine ſimul volvuntur, tum optime judicant, quando ſteterit

ſteterit impetus ille, atque ita ſentiendi ſpatium ipſæ nanciſcantur.

Tertium, quo Patres ſuperantur a claſſicis Auctoribus, illud eſt, quod hi preſſius multo inſiſtant materiæ ſuæ, nusquam divergant, nihil quod cœperunt, imperfectum relinquant: plerumque autem ita omnia deducant, atque amplificent, uti nec minimum effugere eos poſſit, quod faciat in rem ſuam, & unde orationi vel ponderis, vel gratiæ aliquid accedat. Et Demoſthenes quidem inſtar ſagittæ excuſſæ recta fertur ad ſcopum: Tullius vero ambagibus quibusdam tendit ad rem propoſitam, & vel globo igniario ſimilis eſt parabolam deſcribenti, vel certe volucris in morem circumvolitat aliquamdiu, & poſt multiplices denique gyros in prædam certius incumbit. Talis eſt autem in utroque nexus, ea argumentorum ſeries, atque colligatio, uti peritiſſimus dux non aptius diſponeret aciem, & jam hoc, jam illud genus armatorum collocaret. Ex quo neceſſe eſt, admirabile robur, & veluti catena exiſtat, nihil vero ſit redundans, abruptum nihil, ipſæque digreſſiones ad rei ſummam & feliciſſime adhibitæ ſint, & ingenioſiſſime excogitatæ. Unde non mirum, quod aſperis, & confragoſis evecti ſemel, feruntur liberrime, penetrant toti in animos, quos volunt affectus altiſſime imprimunt, atque ita demum aut flectunt auditorem, aut frangunt. Qui alia eorum propius, & minutim noſſe cupit, legat Quintilianum *Libr.* 10. *cap.* 1. & comparationem, quam inter eos luculentiſſimam Rapinus inſtituit. Sed & Poſſevinum *Libr.* 18. *Biblioth. cap.* 10. & 11. Fenelonium *Sermocinat. de Eloquentia.* Et qui, ubi hi deſunt, loco omnium eſſe poſſit, Rollinum *Parte IV. de Ration. diſcend. & docend. liter. humanior.* Mea vero opinione nemo melius illo facturus eſt, qui ipſa eorum ſcripta ea ſaltem excutiat,

& meditetur, in quibus doctorum judicio uterque eminuerunt. * Ita enim latini ſoli aurum reſplendebit acrius, ita mulcebit blandius teneritudo atticiſmi ejus, cujus præter græcam nulla alia lingua capax eſt, quamque Demoſthenes ad perfectionis ſupremum veluti culmen evexit. Apparebit etiam ſcopus, delineatioque orationis, diſpoſitio ipſa partium ſingularum, denique artificium mirabile jam ſuaviter ſeſe infundendi in animos, jam veluti vi facta penetrandi eos, & occupandi. Nam hæc omnia, & alia multa his ſimilia neque ex laudatoribus eorum ſatis colligere, neque in ſelectiſſimis etiam locis, quod a reliqua oratione diſtracti ſunt, tam manifeſte licet contueri. Legantur itaque exempli loco, proponanturque in ſcholis plus etiam, quam hucusque factum ſit. Nemini e manibus excutio, & longe ſum ab eorum opinione, ut putem moribus obeſſe poſſe; contra ſentio vix perfectum quemquam fore, qui non valde familiares habeat, & veluti duces ſecutus ſit. P. Segneri Ciceronem verſabat identidem, neque paucos ipſe novi, qui quidquid dicendo valent, his duobus omne in acceptis ferunt. Sæpe autem cogito mecum, ſi fieri poſſet, ut reviviſcerent illi, Chriſtumque induti ad noſtras veritates transferrent eloquentiam: ſi prior quidem vitia vitæ communis inſectaretur, alter myſteria explicaret, quos illi turbas attraherent, quos motus cierent, quas eſſent ſtrages edituri!

Sunt qui Æſchinem nolunt divelli a Demoſthene, quod is non multo inferiorem eo celebritatem invenerit, & aliquamdiu æquis pene viribus cum illo

* Eminet autem ille quidem in *Philippicis;* quæ vero *pro Cteſiphonte* inſcribitur, eſt ipſius *Ciceronis judicio* longe optima. Cicero laudatur maxime in *Libro de Oratore*, Orationibus pro *Milone*, pro *Ligario*, *IIda Philippica*, & *in Actionib. in Verrem.*

illo de palma decertarit. Laudes ejus cum Demoſthenicis comparatas dat Quintilianus *Libr.* 10. *cap.* 1. * Addo ego Livium non minorem certe Oratorem, quam Hiſtoricum, quem adeo extulerunt omnium ætatum diſertiſſimi viri, ut quidquid conaturus ego ſim, grandius quid, digniusque non poſſim dicere, quod non ante ipſi mira copia, & ubertate verborum occuparint. Legunt eundem omnes, omnes mirantur, atque deprædicant, ille ſtylum, hic gravitatem, iſte ſapientiam. Unicum affero, qui præcipue hujus loci ſit, divum Hieronymum videlicet, qui *Epiſt.* 103. nunc 53. *ad Paulinum* ita de illo ſplendide profecto, & eleganter ait: *ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quosdam veniſſe nobiles legimus, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingreſſi aliud extra urbem quærerent!* Legatur Rapinus paulo ante laudatus in comparatione ejus cum Thucydide. Item Doujatii Editio in uſum Delphini, maxime vero ejusdem ipſius orationes narrationi intertextæ, jam breviores illæ, jam fuſiores, quasque merito operis animam appellaveris. Collectæ illæ ſunt ſæpius, & tam in Gallia, quam apud nos iteratis typis prodierunt. Superi! quæ ibi figuræ ſunt, qui ignes, quæ vita! videris tibi oculos loquentium, manus, vultum, lacrimas videre, denique & vocem ipſam exaudire. Jam Quintilianus in concionibus ſupra quam narrari poteſt, eloquentem vocat; *ita*, addit, *dicuntur omnia cum rebus tum perſonis accomodata. Sed affectus quidem, præcipue eos, qui ſunt dulciores, ut quam parciſſime dicam, nemo hiſtori-*

R 2

* Vide de iisdem Photium *Codice* 41. 264, 265.

hiſtoricorum commendavit magis * Sed etiam ſententiæ Livii plenæ ſunt ſplendoris, & ſapientiſſimæ cujusdam gravitatis; eſtque optime profecto factum, uti colligerentur ſimul, atque ita lucem aſpicerent. **

74. Quid vero? an quid inde decedit Patribus, ſi profanos illis aliquot præponimus in dicendo? Minime iſtuc quidem. Imo laus eorum inſignior, neque ſatis æſtimanda eſt, quod & illis temporibus, quando implexa omnia, atque impedita ipſis erant, & neque idoneos præceptores, neque amica muſis tempora habebant, nihilominus illos ipſos primores literarum proxime ſecuti ſint, & ſæpe etiam aſſecuti. Nati ſunt omnes ea ætate, quæ parum argenti, auri vix quidquam, contra æris, & ferri copiam ingentem jam proferebat. Certe & in occidente latinitas, & in oriente atticiſmus plurimum a nitore ſuo deſciverant, neque alibi jam, niſi in memoratis illis auctoribus, ac Poëtis quibusdam reperiebantur. Itaque quando alii, cum quibus agendum perpetuo, & ad quos jam dicendum ipſis, jam ſcribendum fuit, aliter & dicerent, & ſcriberent univerſi, contra torrentem niti debebant, & ſiquidem a barbarie immunes eſſe vellent, perpetuo claſſicos illos Scriptores verſare. Hoc vero quis poſtularet ab iis hominibus, qui religioni ſibi ducebant, commune quid cum Ethnicis vel in literis habere, qui libros illorum procul amandarant a ſe, qui in occupatiſſimo vitæ ſtatu, inter immenſas curas ſacerdotiorum, quæ integras ſæpe provincias complexa latiſſime exporrigebantur, inter privata, publicaque negotia, inter certamina cum hæreticis, cum Ethnicis, cum impiis Principibus fere quotidiana ætatem traduxerunt? Adde

* *Libr.* 10. *Inſtit. Orator. cap.* 1.
** *Pariſiis Anno* 1695.

Adde exercitia pietatis, ſtudiumque precandi, quibus ita impenderunt ſe, quaſi quod agerent, aliud plane non haberent. Adde curam juvandi pauperes, & miſeros, bonorum Eccleſiæ integerrimam procurationem, cognitionem Scripturæ & Canonum, inſtitutionem Clericorum, & Monachorum, perpetuas conciones, & alia ſexcenta, quæ non dico exequi, ſed recenſere etiam multo difficillimum ſit. Hos inter labores, & negotia ſibi ſuccedentia, dum ab illo, quod præ oculis habebant, abſtinere manum identidem cogebantur, aliisque propioribus ſe curis reddere: quantum obſecro temporis lucubrando ſupereſſet? quando emendare, limare, & iterum, iterumque perpolire debebant, quæ aut dictaſſent aliis, aut tumultuario opere ipſimet in chartam conjeciſſent? Hinc Nazianzenus, quo poſſet Juliani improbitatem futuro quoque tempori tradere, atque ejus ætatis hiſtoriam quaſi in columna inſculptam poſteris relinquere, *Orat.* 3. jure exclamavit: *Quis mihi Herodoti, ac Thucydidis otium, linguamque ſuppeditabit?* Sed Epiſcoporum occupationes perpetuas apud Auguſtinum *de opere Monachorum cap.* 29. *Epiſt.* item 56. nunc 118. *ad Dioſcorum.* Syneſium quoque *Epiſt.* 55. Chryſoſtom. *in Libris de Sacerdotio*, & Gregorium in *cura Paſtorali*, pluresque alios leges.

Præſidia ergo ad ſcribendum, niſi quæ teneriori ætate forſitan ſibi paraſſent, nulla prorſus habebant. Nihil erat, quod alliceret, quando gloriam, & æmulationem, quæ duo maxime acuunt calamos, & incitant ad ſcribendum, dudum proculcaverant: impedimenta vero erant tot, & tanta, quæ ſuperare omnibus quidem arduum, eruditis vero hominibus intolerabile etiam eſſet futurum.

Et tamen plura adhuc ſunt, cur Patribus, cum non vacavit, neque etiam libuit valde eſſe eloquentes. Amor ipſe, & affectio intima erga Deum,

populumque ſuum phaleras omnes neſciebat, atque a mentibus candidiſſimis, & inſtar puriſſimi fontis pellucidis fucum, & artes eas abeſſe omnes oportuit, nec membranas eorum, veluti graves proveſtasque matronas, alius jam decebat, niſi caſtiſſimus ornatus. Quid quod bellicum canunt ſæpius, & tubarum inſtar irruentes undique hoſtiles acies, mortemque propinquam nuntiantes horridum ſane aliquid & raucum ſonare neceſſum eſt: certe non lyram, non carmina, non muſicum alium concentum? Unde quo certius ſpiritum ſervarent, & majeſtatem eorum, quæ dicunt, eo frequentius delicatam, comptamque orationem dimittere debuerunt.

Accedit difficultas argumenti, in quo ante eos nemo verſatus ſit, & ſubtilitates plurimæ in hæreſibus oppugnandis, ubi ultima ſemper cura verborum eſt; ut quorum nitore veritas, & ſenſus Scripturarum facillime periclitetur. Et tamen diſertiſſimi Patrum ejuſmodi plurima breviſſimo tempore, nec intermiſſo labore concionum, non quomodo, aut quando placuiſſet, ſed ut res ferebat, complecti literis debuerunt. Eadem eſt ratio in Scriptura interpretanda; in quo tamen genere plerique eorum libri conſumuntur. *Quis autem ibi phaleris, quis ornatui, & eloquentiæ locus?* * Denique multitudo ipſa ſcriptorum per ſe Patres excuſat, ut qua unus ſæpe illorum profanos plures ſimul ſumptos ſuperavit; non enim libros ſcripſiſſe quosdam dixeris, ſed Bibliothecas. Habet una, vel altera ſcriptio liberque recte compoſitus aliquis magnam utique commendationem, quanto majorem plures, ac

* Valent hæc maxime de S. Athanaſio *contra Gentiles*, & *Arianos*. *S. Baſilio de Spiritu S.* & *contra Eunomium*. S. Gregorio Naz. in *Orationib. de Theologia*. S. Gregor. Nyſſ. *contra Eunomium*, & ejus generis pluribus aliis.

ac copioſi? Sed multa ſcribendo ſtare ſemper eodem gradu, nunquam dormitare, nullibi vacillare, præſertim ubi prodeſſe magis cupias, quam placere, vix cadit in hominem. Facile eſt enim via breviore, & plana decurrere: at in longo itinere, ſi ſalebroſum illud & arduum ſit, concidunt latera, deficit ſpiritus, & cum pedibus vires ipſæ labaſcunt.

Quo te cunque vertas, inæqualia hic ſunt omnia. Dum enim animi cauſa, & in ſeceſſu ſæculares lucubrabant, ubi aliis in ſpongiam incumbentibus meliora ſemper ſuccedere neceſſum eſt, hi, quod feſtinato opus erat, ſcripſerunt præpropere, aut etiam Notario dictarunt. Non ergo ornare ſua potuerunt, non argumentorum delectum facere, minus nonum in annum premere, & æternitati ſcribere, ut quæ omnia non negotii, ſed otii, non militiæ, ſed pacis ſunt. Meminiſſe hic Lector velit eorum, quæ *Quæſt.* 5. *cap.* 1. §. 5. de præparatione profanorum non indiligenter narrata ſunt. Quid ergo expectare a Baſilio, & Nazianzeno poterat literatus orbis, ſi quos Libanius juvenes admiratus eſt, & vero etiam ſucceſſores optavit, huic ſe ſtudio impendere totos voluiſſent? quid Chryſoſtomus extudiſſet poſt tantum uſum dicendi, qui libros de Sacerdotio omnium eloquentiſſimos prima ætate profuderat, itaque laudarat Imperatores, ut idem Libanius, & qui cum illo erant, ea omnia facerent, quæ homines attoniti ſolent: ipſe vero non ſolum beatum diceret ipſum Joannem, ſed eos quoque, qui talem nanciſci præconem potuiſſent? Quid ſuperi! Cyprianus noſter, ſi omnem illum, quem habebat, eloquentiæ apparatum transferre ad ſacra voluiſſet, quid Hieronymus præſtitiſſet, ſi poſtquam Ciceronis cauſa ita vapulaverat, obductis cicatricibus, & ſcapulis conſanatis reddidiſſet ſe lectioni ſuæ, &, ut ante, poſt vigilias,

& jejunia Plautum ſumpſiſſet in manus? Quid polliceri nobis a Paulino potuimus, cujus in Magnum Theodoſium laudatio ab Hieronymo, laudum minime prodigo, illud elogium tulit, quod ſine admiratione legi a nemine poteſt? Quantum Eucherius promoviſſet, ſi amabilem illam tam verborum, quam ſenſuum rotunditatem, & volubilitatem uſu quotidiano excolere, quam ſemel periculum ejus facere maluiſſet? Quid, ſi Salvianus ſecundis curis limaſſet libros ſuos, atque ad Tullii puritatem exegiſſet, cui efficacia, & nervis, & acrimonia non par, ſed ſuperior jam ante evaſerat? Tale ſcilicet aliquid ab hoc genere hominum natum nobis fuiſſet, cui ſimile non dico Latium, ſed ut Hieronymi verbo utar, vel docta quoque Græcia non haberet. Certe illud omnino erat futurum, ut triumviratum illum, aut quatuorviratum Eloquentiæ, cui adeo vacaverat diſerto eſſe, Eccleſia jam non deſideraret magnopere, aut requireret, imo vero negligere etiam tuto, atque aſpernari poſſet.

CAPUT II.

Poſt hos vero Eloquentiæ Principes neminem Patribus anteferri, imo pleroſque ne comparari quidem cum ipſis ullo modo poſſe.

75. Nolo hic, quod alius quidam fecit *, de ſuo quemque ſæculo æſtimare, paria paribus committere, & jubere, uti eorumdem temporum æquales una in arenam cum Patribus deſcendant: ſed ſine ambagibus omnes Latinos, & Græcos ſive ejusdem, ſive alterius ætatis dari mihi poſtulo ad comparationem inſtituendam. Quid enim Latini præter

* **Claudius Fleury** ***Diſſertat. in prima ſex Sæcula*** **§. 16. quam breviter tam ſapienter.**

præter jam dictos habent, quo tantopere glorientur? Cæſarem, vel Salluſtium, vel Æmilium Probum? At Hiſtorici iſti ſunt, non Oratores; quibus tamen Sulpitium Severum, & quoties aliquid narrat, Lactantium atque Hieronymum nos opponimus. Severum enim graviſſimi Scriptores *Salluſtium chriſtianum* dixere. Lactantius admirabili ſemper eſt facilitate: in Hieronymo vero, ſi quid ſapio, ſpirant omnia; tam abundat ingenio, iis nervis conſtat, tantam amœnitatem aſpergit omnibus rebus. An Plinii ſecundi Panegyrico tantum ſuperbiunt? Stylum ejus apes inſediſſe fateor; felix eſt, cum invenit, inventaque aptiſſime diſponit. Facilis item, terſus, æquabilis, ſi quis alius: verum quia dimittere nequit, quod ſemel aggreſſus eſt, faſtidium parit ipſa amœnitate diducta nimium, & nunquam interrupta. Certe ejusdem Hieronymi Elogia multo plus rapiunt legentes, licet neque tam ſplendidum & copioſum, ſed difficile, ſed novum ſit, & invidioſum argumentum ejus. At vero Senecam ſuum Latini jactant, Senecam dico, qui ob affectatam concinnitatem, ſapientiæ oſtentationem perpetuam, & acervos ſententiarum a graviſſimis hominibus vapulavit toties, & deridiculo eſt habitus? Senecam, qui inceſſit antiquos meliores, & deſerit, cui judicii acrimonia deeſt, qui minutiſſimis argutiis res maximas infringit, aliaque *dulcia vitia* habet, ut ait Quintilianus, quorum cauſa hodieque quantum juvenes afficit, tantum viris exoſus eſt? An Quinti Curtii Romanenſem fabulam verius, quam Hiſtoriam oſtentant? an Symmachi Epiſtolas, quæ tantum non putent præ vanitate, & affectatione? Age vero, quoniam hic apud Imperatorem vivens certavit cum Ambroſio, atque ab eo ſuperatus eſt, congrediatur rurſus, & loci ejus aliqui cum Ambroſianis conferantur. Legi ego terque, quaterque eam Sym-

machi Epiſtolam *, quæ princeps omnium habetur: ſed ut verum fatear, nunquam valde placuit: Ambroſianam autem ut reſpicere cœpi, ejusque confutationem expendi apud me, miratus ſum videlicet laudes eas, quas chriſtiani etiam Scriptores profundere in hominem eum potuerunt. ** Ea ſæpe obſcuritas eſt ex affectatione perpetua ſententiarum, ea infirmitas argumentorum Imperatori chriſtiano admotorum, ea denique impuritas latinitatis, quæ merum æs ſonet, & cui numerus quoque & proprietas deſit pleriſque locis. Verum audiantur ſane, quæ ejus optima ſunt, illisque Ambroſii Reſponſiones ſubjungantur: patebit illico, quid diſtent æra lupinis, & quam inæquale certamen ſit, ubi politici quidam, vanæque, aut nullius Religionis homines cum ſacro Antiſtite committuntur. Eſt autem Epiſtolæ hoc Argumentum: *Veſtalibus puellis, & idolorum ſacrificulis ſtipendia reſtituantur, araque Victoriæ nuper everſa, in curia reponatur.*

Symmachus. „ Quanto commodo ſacri ærarii „ veſtri Veſtalium Virginum prærogativa detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt. Honor „ ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis. Ut vittæ „ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur „ ſacrificii vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt; quoniam „ paupertate a diſpendio tutæ ſunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt; ſiquidem ſaluti publicæ dicata Virginitas creſcit merito, cum caret præmio. Abſint ab „ ærarii veſtri puritate iſta compendia: fiſcus bonorum principum non ſacerdotum damnis, ſed „ ho-

* *Libro* 10. *num.* 54*am.*

** Nominatim ipſe Prudentius *Libro* 1. *adverſus eum ſcripto ſub finem.*

„ hoſtium ſpoliis augeatur. Ullumne lucrum com-
„ penſet invidiam? & quia avaritia in veſtros mo-
„ res non cadit, hoc miſeriores ſunt, quibus ſub-
„ ſidia vetera decerpta ſunt. Etenim ſub Impera-
„ toribus, qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cu-
„ piditati, ad ſolam detrahitur amittentis injuriam,
„ quod deſiderium non movet aufferentis. Agros
„ etiam virginibus, & miniſtris deficientium *
„ voluntate legatos fiſcus retentat. Oro vos Ju-
„ ſtitiæ Sacerdotes, ut urbis veſtræ ſacris reddatur
„ privata ſucceſſio! Dictent teſtamenta ſecuri, &
„ ſciant ſub Principibus non avaris ſtabile eſſe,
„ quod ſcripſerint. Delectet vos iſta felicitas ge-
„ neris humani. Cœpit cauſæ hujus exemplum
„ ſollicitare morientes. Ergo Romanæ Religiones
„ ſub Romana jura non pertinent? Quod nomen
„ accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nul-
„ lus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti,
„ ſervis teſtamentorum juſta commoda non negan-
„ tur: tantum nobiles Virgines, & fatalium ſa-
„ crorum miniſtri excluduntur prædiis hæreditate
„ quæſitis. Quid juvat ſaluti publicæ caſtum cor-
„ pus dicare, & imperii æternitatem cœleſtibus
„ fulcire præſidiis, armis veſtris, aquilis veſtris
„ amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia
„ vota ſuſcipere, & jus cum omnibus non habe-
„ re? Itaque melior eſt ſervitus, quæ hominibus
„ impenditur? Rempublicam lædimus, cui nun-
„ quam expedit, ut ingrata ſit. „

Hic ſcilicet Symmachus omnem vim, omne robur eloquentiæ ſuæ exeruit, & partem Epiſtolæ fere quartam conſumpſit. Audiamus nunc, quam ſingulari artificio, quibusque lacertis repellatur ab Ambroſio, & deridiculo habeatur. Non enim contentus S. Præſul proſtraſſe adverſarium, ſimul obli-
quis

* i. e. *morientium.*

quis ictibus petit, feritque graviſſime novam legem, qua Curiæ devincti Clerici ab hæreditatibus arcebantur. Sed & Virginum chriſtianarum inemptum pudorem cum illa mercenaria virginitate gentilium componit ingenti commodo cauſæ ſuæ.

Ambroſius. „ Habeant Veſtales Virgines immu-
„ nitatem ſuam. Dicant hoc, qui neſciunt crede-
„ re, quod poſſit eſſe gratuita virginitas: provo-
„ cent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen
„ illis virgines præmia promiſſa fecerunt? vix
„ ſeptem veſtales capiuntur puellæ. En totus nu-
„ merus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum
„ veſtium murices, pompa lecticæ miniſtro-
„ rum circumfuſa comitatu, privilegia maxima,
„ lucra ingentia, præſcripta denique pudicitiæ
„ tempora coëgerunt. Attollant mentis, & cor-
„ poris oculos, & videant (*apud nos*) plebem
„ pudoris, populum integritatis, concilium vir-
„ ginitatis. Non vittæ capiti decus, ſed ignobile
„ velamen, uſu nobile caſtitatis: non exquiſita, ſed
„ abdicata lenocinia pulcritudinis: non illa purpu-
„ rarum inſignia, non luxus deliciarum, ſed uſus
„ jejuniorum: non privilegia, non lucra: omnia
„ poſtremo talia, ut revocari a ſtudio putes, dum
„ exercentur officia. Sed dum exercetur officium,
„ ſtudium provocatur. Suis caſtitas cumulatur di-
„ ſpendiis. Non eſt virginitas, quæ pretio emitur,
„ non virtutis ſtudio poſſidetur. Non eſt integri-
„ tas, quæcunque tanquam auctione nummario ad
„ tempus licitatur compendio. Prima caſtitatis
„ victoria eſt facultatum cupiditates vincere; quia
„ lucri ſtudium tentamentum pudoris eſt. Pona-
„ mus tamen ſubſidia largitatum conferenda vir-
„ ginibus: quæ chriſtianis munera redundabunt?
„ quod tantas opes ſufficiet ærarium? Aut ſi arbi-
„ trantur ſolis Veſtalibus conferendum, non pudet,
„ ut qui totum ſibi ſub Imperatoribus Gentilibus

vendi-

„ vendicarunt, iidem ſub Principibus chriſtianis „ non putent nobis ſortem debere eſſe commu- „ nem. Sacerdotibus quoque ſuis, & miniſtris „ queruntur alimenta publica non præberi. Quan- „ tus hinc verborum tumultus increpuit? At con- „ tra, nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta „ recentibus legibus denegantur, & nemo con- „ queritur. Non enim putamus injuriam, quia „ diſpendium non dolemus. Si privilegium quæ- „ rat ſacerdos, ut onus curiale declinet, *patria*, „ atque *avita*, & omnium facultatum poſſeſſione „ cedendum eſt. Quomodo hanc Gentiles ſi ha- „ berent ingeminarent querelam, quod Sacerdos „ ferias miniſterii ſui emat totius patrimonii ſui „ damno, & privatus univerſæ commoditatis di- „ ſpendio uſum publici mercetur obſequii? Præ- „ tendens communis ſalutis excubias domeſticæ „ inopiæ ſe mercede ſolatur; quia miniſterium non „ vendidit, ſed gratiam comparavit. Conferte „ cauſas! vos excuſare vultis decurionem *, cum „ Eccleſiæ excuſare non liceat Sacerdotem! Scri- „ buntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus „ excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, „ nullus prodigus verecundiæ: ſoli ex omnibus „ Clerico commune jus clauditur, a quo ſolo pro „ omnibus votum commune ſuſcipitur, officium „ commune defertur. Nulla legata vel gravium „ viduarum, nulla donatio: & ubi in moribus „ culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta „ præſcribitur. Quod ſacerdotibus fani legaverit „ chriſtiana vidua, valet; quod miniſtris Dei, non „ valet. Quod ego non, ut querar, ſed ut ſciant, „ quid non querar, comprehendi. Malo enim „ nos pecunia minores eſſe, quam gratia. „

Sym-

* a jactura facultatum, ſi *Curiæ* obſequiis ſe ſubtrahat.

Symmachus. „ Dicet aliquis ſumptum publi-
„ cum denegatum alienæ religionis impendiis.
„ Abſit a bonis Principibus iſta ſententia, ut quod
„ de communi quibusdam tributum eſt, in jure
„ fiſci eſſe videatur. Nam cum Reſpublica de ſin-
„ gulis conſtet, quod ab ea proficiſcitur, ſit rurſus
„ proprium ſingulorum. Omnia regitis, ſed ſuum
„ cuique ſervatis, plusque apud nos Juſtitia, quam
„ licentia valet. Conſulite certe munificentiam
„ veſtram, an hæc publica velit exiſtimari, quæ
„ in alios tranſtuliſtis. Semel honori urbis delata
„ compendia deſinunt eſſe tribuentium: & quod
„ a principio beneficium fuit, uſu, atque ætate
„ ſit debitum. Inanem igitur metum divino ani-
„ mo veſtro tentat incutere, ſi quis aſſerit, con-
„ ſcientiam vos habere præbentium, niſi detrahen-
„ tium ſubieritis invidiam. „

Atque hoc,ut verum fatear,unicum eſt argumentum in ſpeciem ſaltem plauſibile, & quod ſit ad hominem, chriſtianum videlicet Imperatorem. Nam hoc præcipue videbat movere Principis indulgentiam, ſi non tam ſua dare Veſtalibus & ſacrificulis, quam præter fas ablata reſtituere videretur.

Ambroſius. „ Quod dudum vel fiſco, vel arcæ
„ eſt vendicatum, de tuo magis conferre videbere,
„ quam de ſuo reddere. Et de diſpendiis querun-
„ tur, qui nunquam noſtro ſanguini pepercerunt!
„ qui ipſa Eccleſiarum ædificia ſubruerunt! Petunt
„ etiam, ut illis privilegia deferas, qui loquendi,
„ & docendi noſtris communem uſum Juliani lege
„ proxima denegarunt, & privilegia illa, quibus
„ ſæpe decepti ſunt etiam chriſtiani! „

Et iterum. „ Sed referunt ea, quæ vel donata,
„ vel relicta ſunt Eccleſiæ, non eſſe temerata. Di-
„ cant & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod
„ factum eſt chriſtianis? quæ ſi facta eſſent genti-
„ libus

„ libus, redderetur potius, quam inferretur in-
„ juria. Nunccine demum Juſtitia prætenditur,
„ æquitas poſtulatur? Ubi tunc erat iſta ſententia,
„ cum direptis chriſtianorum omnium facultatibus
„ ipſos vitales anhelitus inviderent, & nullis us-
„ quam negata defunctis inhiberent ſupremæ com-
„ mercia ſepulturæ? „

Symmachus. „ Faveant Clementiæ veſtræ Secta-
„ rum omnium arcana præſidia, & hæc maxime,
„ quæ majores veſtros aliquando juverunt, vos
„ defendant, a nobis colantur. „

Ambroſius. „ Poſtremus ſupereſt, & maximus
„ locus, utrum ea, quæ vobis profuerint Impe-
„ ratores! reſtituere ſubſidia debeatis. Ait enim:
„ Vos defendant, a nobis colantur. Hoc eſt, fide-
„ liſſimi Principes! quod ferre non poſſumus; quia
„ exprobrant nobis, veſtro ſe nomine diis ſuis
„ ſupplicare, & vobis non mandantibus ſacrile-
„ gium inane committunt, diſſimulationem pro
„ conſenſu interpretantes. Sibi habeant præſidia
„ ſua, ſuos, ſi poſſunt, illa defendant. Nam ſi iis, a
„ quibus coluntur, auxilio eſſe non poſſunt, quo-
„ modo poſſunt vos defendere, a quibus non co-
„ luntur? „

Quam admirabilis inverſio! quam inexpectata ratio cavillo alterius utendi in rem ſuam, & telum adverſarii in ipſummet retorquendi. Præter iſta nihil fere Symmachi placere poteſt, niſi figura, qua invidiam amolitur, dicens, quod *ideo divi Principis denegata ſit ab improbis audientia; quia non erat Juſtitia defutura.* Et iterum cum exemplum a Conſtantio Cæſare petitum declinat, atque in commodum ſuum convertit. Itaque reliqua non ſunt ex his metienda, & luſus ille verborum: *Reddatur ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt*, pueris fortaſſe placeat magis, quam Imperatoribus. Sed illud, cum ait: *præſtate vero vos, ut*

ea,

ea, quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus, quod niſi ficulneum prorſus argumentum, & anile delirium eſt? Quæ vero habet de uſu neceſſario aræ ad juramenta, & reverentiam judiciis conciliandam, quo pulcriora verba habent, quam cetera, tantum rebus deficiunt, & ſenſibus frigent. Contra in Ambroſii Reſponſionibus * plura adhuc ſunt ſummæ gravitatis, & ingenii; miſſis aliis, qualia quæſo iſta ſunt:

De negotiis civilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum; & præceptum de Religione calcatur?

Non in fibris pecudum, ſed in viribus bellatorum trophæa victoriæ ſunt.

Numquid Imperator gentilis aram Chriſto levavit?

Vos pacem Diis veſtris ab Imperatoribus obſecratis: nos ipſis Imperatoribus a Chriſto pacem rogamus.

Videte magnanimos! per injurias, per inopiam, per ſupplicium nos crevimus: illi ceremonias ſuas ſine quæſtu manere poſſe non credunt.

Tarquinius Gallutius *Orat.* 5. cum Symmachi *compoſitam callidamque* orationem vocaſſet, eamque cum altera Ambroſii ſæpiſſime conferre ſe dixiſſet, ita concludit: *Dicam quod ipſa res eſt; ubi depoſito Symmacho ad Ambroſium venio, non in ea tantum declamatione, ſed & in omnibus pene ſcriptis Ambroſius ipſo longe mihi videtur ornatior.* Ex reliquis quoque Symmachi Epiſtolis aliquas huc apponere ſtatueram; verum, quod ex denis vix unam reperi, quæ plane elegans eſſet, quamcunque demum allegavero, videbor ſemper deteriorum aliquam de induſtria delegiſſe. Itaque dimiſi propoſitum. Qui fidem mihi non habet, ipſe per ſe Symmachum adeat; precor, ut minore tædio id faciat, atque ego feci.

76. Quod

* Videlicet *duabus Epiſt. ad Valentin. Jun.*

76. Quod ſi jam ad Græcos eſt pergendum, quos tandem ipſi in aciem contra Patres educent? Libanium fortaſſe nominas mihi? Scio quantum illi tribuerit ætas ſua: ſcio ob eloquentiæ celebritatem proximam ab Imperatore dignitatem illi oblatam & recuſatam *: ſcio vocari a Photio regulam, & perpendiculum ſermonis Attici: ſcio a Divo Baſilio adhuc juniore in ſuis ad eum epiſtolis celebratum ſummopere, qui & vivere ſermonem ejus dixit, ſolumque Libanium pronuntiavit, qui orationibus animam ſit impertitus **. Nihilominus hunc ipſum & Baſilius & Nazianzenus, & Chryſoſtomus diſcipuli ſcilicet Magiſtrum ſuum albis, quod ajunt, equis, & intervallo maximo præcurrerunt. Aſſurgat licet in multis: gratia, & facetiis comicis ſcateat: argutiæ & lepos, & ſales, & urbanitates, quæ Syrophœnicibus peculiares erant, ubique eum comitentur: meras veneres, & aurium delicias, mera unguenta, & ſuavia ſpiret: voces adeo veterum poſtliminio in lucem, uſumque revocarit, ſicque ex vetulis juvenculas fecerit; tamen iners eſt ſæpiſſime, artem vero adeo non celat, ut palam, & ubique affectet: ac vere Photius dixit, elucubrandi, fucandique nimio ſtudio maculaſſe plurimum nativam gratiam, & jam interponendo plurima, jam ſeponendo etiam obſcurum evaſiſſe. Ejus vituperium divitiarum nolo tranſcribere, tam friget, tam jacet, tam jejunum, exſuccumque eſt, ſi Baſilii *homiliæ in diteſcentes* comparetur. De *Vituperatione Iræ*, quod ei argumentum rurſus commune eſt cum Baſilio, jejunitate excepta idem fere dixeris; nam & in enumerationibus, & comparationibus,

* Vide Eunapium in *vita Libanii.*

** Loquitur Baſilius de 6. *Declamatione*, quæ *de moroſi viri moribus* eſt.

nibus, & exemplis gratiam niſi verborum vix ullam deprehendes. Sed quoniam aliquod ſaltem exemplum dandum eſt, & Libanium modo ad manus habeo, qui non ubivis proſtat, juvat ex verſione Morelliana perbrevem *Ebrietatis deſcriptionem* audire, eamque cum ſimili loco Baſilii conferre.

„ Jam vino dominante, ait Libanius, corpus „ ipſum rubeſcere, ipſe animo commoveri, inque „ alios contumelioſus urbanis ſuccenſere, ipſum „ etiam increpare pincernam, nulla culpa illius. „ Tum poculum manibus elabi, oculique, & lin- „ gua perverti. Cum ſurgendum eſſet, opus illi „ erat & erectoribus, & ductoribus. Paſſus autem „ ſe usque ad forum deduci, huc cum veniſſet, du- „ ctorem dimittit, ſeque conatur ipſe ſuſtentare: „ neque tamen poterat, ſimilisque erat deliranti- „ bus, cum huc illuc titubans ferretur in opinio- „ ne omnium, futurum, ut caderet. Quo ipſo „ & riſus excitabatur; nemo enim aderat, qui „ ſine riſu hæc aſpiceret. Neceſſariorum quidem ſi „ quis auxilium laturus forte accurriſſet, neque „ agnoſcebatur ab ipſo, & genere indignam rem „ facere videbatur. Tandem vix domum delatus, „ ſequentibus multis (volupe enim aliis erat ebrii „ illius miſeria) cum objurgare ſervos, tum videri „ mulier illi male rem domeſticam curaſſe, quæ „ nihil plane deliquiſſet. Nullis igitur verbis par- „ cere, neque tamen quidquam enuntiare plane, „ atque integre, ſed nunc literam, nunc plura „ etiam omittere. Poſtquam aſſedit, ædibus ſuc- „ cenſere, quæ nollent conſiſtere, clamabatque „ diu, ac multum, quaſi vis afferretur. Poſtremo „ extenſus jacuit, correptus ſomno morti ſimillimo. „ Quem cum cœpiſſet admodum prolixum, illu- „ ceſcente jam die reverſus ad ſe, cogitare, quid in „ ebrietate ſibi accidiſſet, ipſe quidem certe igna- „ rus omnium, ſed ab aliis de cunctis edocebatur.„

Hoc

Hoc totum. In quo quid fere niſi verborum diſpoſitio, & enumeratio eſt rerum communiſſimarum? Compara cum iis, quæ S. Baſilius in ſua de Ebrietate homilia habet; maxime, quod Libanius, qui laudari audierat, per litteras eam ab ipſo expetivit. Unicum brevitatis cauſa, eumque obvium locum adduco, ubi pariter in externa ſolum ejus vitii fœditate ſiſtit, ita tamen, ut eos petat præcipue, qui ingurgitationem eam honori ſibi ducunt, & certamen de ea inſtituunt, id quod meo judicio multo magis attollit argumentum.

„ Deinde, inquit, convivio longius progredien-„ te, oriuntur de ampliore potu certamina, conten-„ tionesque, & lites, dum ſe mutuo ebrietate ſu-„ perare conantur. Atque certaminum horum „ præfectus diabolus eſt, & victoriæ præmium „ peccatum. Nam qui plus exhaurit meri, is ab „ aliis reportat victoriam. Revera *gloria in con-„ fuſione ipſorum* *. Contendunt enim inter ſe, ac „ ſe ipſi ulciſcuntur. Quæ oratio eorum, quæ „ fiunt, aſſequi poſſit turpitudinem. Omnia ſunt „ inſipientia referta, omnia confuſione. Victi, „ victoresque ebrii ſunt: derident miniſtri. Labat „ manus, os non ſuſcipit, venter disrumpitur, „ nec tamen malum mitefcit. Miſerum corpus na-„ turali vigore exſolutum undelibet diffluit, haud „ ſuſtinens immodici potus violentiam.

„ Miſerabile Chriſtianorum oculis ſpectaculum! „ Vir ætate florens, validus corpore, inter militares „ ordines clarus, aliorum manibus domum deporta-„ tur, quod erigere ſe non queat, neque ſuis ipſius „ pedibus abire. Vir, qui terrori hoſtibus eſſe de-„ buerat, pueris in foro ridendi occaſionem præ-„ bet; ſine ferro proſtratus eſt, ſine hoſtibus „ enectus. Vir armiger in ipſo ætatis flore con-„ ſiſtens a vino conſumtus eſt, & confectus, quid-

* *Philipp.* 3. v. 19.

„ quid hoſtes voluerint, perpeti paratus. Ebrietas „ rationis pernicies, roboris lues, ſenectus immatura, exigui temporis mors. Quid enim aliud ſunt „ temulenti, niſi idola gentium? *Oculos habent, & „ non vident: aures habent, & non audiunt:* * Manus „ reſolutæ ſunt, pedes emortui. Ecquis hæc machinatus eſt? quis auctor eſt horum malorum? quis „ hoc inſaniæ pharmacum nobis admiſcuit? O homo! convivium aciem effeciſti. Juvenes ejicis, „ ductos manu tanquam vulneratos e prælio; juventutis florem vino enecaſti. Ac vocas quidem „ veluti amicum ad cœnam, ejicis autem mortuum, „ extincta a vino illius vita. Cum autem vino exſatiati eſſe putantur, tum bibere incipiunt, & pecudum more bibunt quaſi a fonte ſponte manante, „ & ſcatebras numero æquales accumbentibus miniſtrante. Nam procedente jam convivio, adoleſcens habens egregios humeros, nondum ebrius, „ prægrandem vini refrigerati phialam afferens, huc „ ingreditur: qui depulſo ipſorum pocillatore, ſtans „ in medio, per obliquos tubos parem compotoribus diſtribuit ebrietatem &c. „

Verum quando jam victus a Baſilio receſſit Libanius, eundem cum altero quoque diſcipulo Nazianzeno, ubi ſimile argumentum habet, committamus. Sic ergo ex inſtituto Ver deſcribit Libanius *Deſcriptione* 4.

„ Ver amo certe plus, quam alias anni tempeſtates, & quale ſit enarrare lubet. Solvit enim „ homines tanquam ex carcere brumæ, diemque „ multo præſtantiorem eſſe nocte docet. Nam „ radios a nebulis liberat. Tum vero ſol nitidus, „ & lenis, ac jucundus eſt corporibus. Fervidior „ quidem incumbens, quam hyberno tempore, „ ſed nondum æſtu urgens immoderato, prout „ æſtivis menſibus facere ſolet, ut libenter quis non „ exi-

* *Pſalm.* 113. *v.* 13. & 14.

„ exiguam partem diei in ſole conterat. Tunc „ profecto auroram a roſeis digitis indigitare fas „ eſt. Idem Ver noctem gratam, & ſuavem efficit, „ ut ſydera ſemper appareant, ac vix unquam occul- „ tentur. Proinde vigilanti ſpectaculum eſt omnium „ ſuaviſſimum, coelum ſignorum varietate diſtin- „ ctum. Terra vero ſua munera profert. Tunc „ vero lætæ, & virides ſunt ſegetes, quæ agricolas „ bona ſpe oblectant. Quin etiam arbores ſuas co- „ mas, & frondes recuperant, & omnia fructus „ ſpondent. Porro ſi quis in ſublimi loco conſiſte- „ ret, intueretur que terram, & mare, non mino- „ rem ex mari, quam continenti lætitiam percipe- „ ret. Tunc enim patet mare nautis; neque enim „ fluctibus intumeſcit, qui altitudine montes re- „ ferant, ſed planum, & quaſi ſupinum eſt, & „ venti faventes mercatoribus, tam iis qui pelagi „ ſinus trajiciunt, quam qui ultro citroque commean- „ tes commercia inter ſe habent. At enim viæ non „ ſunt aſperæ, & confragoſæ, neque imbres mo- „ leſti: quin ipſa profectio, aliorumque mutuus ad „ alios acceſſus non minus voluptatis, quam lucri „ conciliat. Amnes perpetui pure labuntur, tor- „ rentes vero moderatius feruntur, fontes deni- „ que multi meliores, ac limpidiores ſunt, quam „ hyeme. Interim otio & ignavia languere nemo „ vult, ſed ad opus, & ſtudium ſuum quiſque in- „ ſtigatur, eques, ſagittarius, venator. Duntaxat „ ſimiles ſunt homines a morte ad vitam revocatis, „ & multa quidem mercantur, atque emunt, ad „ villas & agros ſe conferunt, ibi ruſticantes, in „ avium cantibus, & florum odoribus delicias au- „ cupantur. Canit quidem vere loquax hirundo, „ nec deficit luſciniolæ ſua cantio. Utraque Pan- „ dionis ſoboles cluet, in quas Thraciæ Rex inju- „ rius fuit. Alia pleraque alituum genera appa- „ rent, quæ omnia pervolitant loca, & auſpicibus,

„ auguribusque crebra, & certa dant auguria. „ Tunc eædem volucres, ut omnes animantes, ad „ cœtus venereos incitantur. Rura tunc ſunt amœ- „ niſſima ob ovium balatum, & florum, roſarum, „ violarum, liliorum, aliorumque id genus co- „ piam, quæ & ſuave eſt videre, & pergratum ma- „ nibus contingere, & naribus admovere. Ver „ adhæc homines educit, & decumbere facit, iiſ- „ que lautas apparat epulas; cum vino quidem „ convivæ exhilarentur, & corollis etiam oble- „ ctentur; quandoquidem pati non poſſunt, ut „ epulentur ſine roſis. Atque hæ ubique locorum „ conſperſæ ſunt in menſis, in poculis, in capiti- „ bus: jacent etiam humi projectæ. Hæ urbes „ etiam amœniores faciunt, cum ab agricolis con- „ vehuntur, & venduntur. Cum his quoque dor- „ miunt virgines, & quovis in loco roſas affulgen- „ tes videris. Enimvero flos hic in honore eſt, & „ in amoribus potiſſimum, qui vernæ tempeſtatis „ gratiam, & decus arguit. Gaudent porro, ut „ opinor, etiam Dii coronis e roſis contextis non „ minus, quam thure. „

Quam porro aliter Gregorius *Orat.* 43. *ad finem* a Paſchalibus gaudiis ad veris jucunditatem transgreſſus?

„ Sed jam ad temporum quoque feſtum, ait, „ ut par eſt concelebrandum nos conferamus; com- „ modum enim omnia ad hoc feſtum concurrunt, „ ſimulque lætantur. Vide enim qualia ſint, quæ „ oculis offeruntur. Princeps anni pars principi „ dierum pompam peragit, ac quidquid pulcherri- „ mum, & ſuaviſſimum habet, dono dat. Nunc „ cœlum ſplendidius, nunc ſol ſublimior, magiſ- „ que aureus, nunc lunæ orbis clarior, & ſyde- „ rum chorus purior. Nunc & fluctus cum litori- „ bus, & nubes cum ſole, & venti cum aëre, & „ terra cum ſtirpibus, & ſtirpes cum oculis in gra-

„ tiam

„ tiam redeunt. Nunc fontes limpidius fluunt, „ nunc flumina uberius, nimirum hybernis vinculis ſoluta. Nunc & pratum ſuaviter olet, & „ planta viret, & herba detondetur, & in virentibus arvis agni ſaltitant. Nunc navis cum celeuſmatis, iisque ut plurimum religioſis, & pietate plenis e portu ſolvit, veloque tanquam pennis cingitur, ac per gyrum aſſultat delphinus, jucundiſſimum quiddam inſufflans, ſeſeque in altum „ evehens, & vectores lætos, atque hilares proſequitur. Nunc aratrum agricola compingit, oculos in altum tollens, frugumque datorem invocans, ac bovi aratori jugum innectit, dulcemque „ ſulcum proſcindit, ac ſpes lætas fovet. Nunc „ paſtor, & bubulcus fiſtulas aptant, ac paſtorale „ carmen inſpirant, atque in arboribus, & petris „ veris amœnitate fruuntur. Nunc plantarum cultor plantam curat, & auceps calamos conſtruit, „ ac ramos ſuſpectat, & pennam avium ſtudioſe explorat. Nunc piſcator profundum aquæ perſpicit, ac rete ſuum repurgat, & petris inſidet. „ Nunc ſedulæ apes ſolutis pennis, & relictis alvearibus ſapientiæ ſuæ documentum præbent, „ atque ad prata convolant, floresque diripiunt, „ ac partim cellulas elaborant ſexangulas, & inter „ ſe oppoſitas fiſtulas attexentes, rectasque angularibus alternantes, non minus ad operis elegantiam, quam ad ſecuritatem, partim mel in horrea recondunt, atque hoſpiti ſuo dulcem fructum, & inaratum proferunt, quemadmodum „ utinam nos quoque, qui Chriſti apiarium ſumus, „ ac tale partim ſapientiæ, partim induſtriæ, & „ laboris exemplum accepimus. Jam avis nidum „ conſtruit, atque alia quidem redit, alia immigrat, „ alia circumvolat, ac nemus cantu implet, hominemque garritu demulcet. Omnia Deum laudant, & vocibus mutuis concelebrant. Propter

 „ omnia

„ omnia enim gratiæ Deo per me habentur, atque „ ita illorum laudatio mea efficitur, nimirum a quibus ego laudis argumentum capio. &c. „ Ubi ad feſta quoque, quæ Græci hac anni tempeſtate non in templis, ſed ſub dio lætiora, & ſplendidiora agere ſolebant delapſus ita demum concludit:

„ Atque ut paucioribus adhuc verbis rem complectar, nunc ver mundanum, ver ſpirituale, „ ver animis, ver corporibus, ver viſibile, ver inviſibile: quo utinam in altero ævo participes efficiamur præclare in hac vita mutati, ac novi ad „ novam vitam transmittamur! „

Nunc Chryſoſtomi quoque thema aliquod aſſumamus, in quo Libanius pariter verſatus eſt. Sic autem iſte prælium deſcribit:

„ Aciem inſtruxere hoc modo. Ab utraque „ parte erant equites amborum. Medium tenebant legiones, ſequebanturque ſagittarii, & alii „ levioris armaturæ. Tum duces acuere cohortando animos militum, & ſigna præcipere inferri, præliique initium a ſagittariis fieri. Evolabant tela plurima, partimque corporibus infigebantur, partim ab his aberrabant. Sed jam a ſagittariis telis emiſſis, manus conſeri, tumultusque „ oriri magnus, & ſtrepitus, atque cædes. Hanc „ autem haſtis primum fecerant, quibus cum non „ magis liceret uti, enſibus ſeſe mutuo conficiebant. Amputari hujus manus, effodi illius oculus, alius jacere vulnere in inguine accepto, „ alterius aliquis ventrem pertundere. Atque fortium virorum vulnera in pectoribus conſpiciebantur, quæ eadem cernerentur in dorſis ignavorum. Jam hic interfectum a ſe ſpoliare jacentem, quem alius conſpicatus legentem ſpolia „ cædere, & interfecto alteri adjicere, huncque „ etiam alius. Hic cadere multis prius a ſe inter-

„ emptis

„ emptis, ille paucis, alius nullo memorabili faci-
„ nore deſignato jacere mortuus ſuper ſcuto, alius
„ in terra, multi etiam componentes ſe ad formam
„ quandam mortuorum accedentes feriebant infer-
„ ne. Eques peditem occidebat, pedes etiam equi-
„ tem. Ille de equo percuſſo milite, hic vero
„ prius equo icto, deinde pugnatore potitus. San-
„ guine autem rubebat tellus, quodque reſtabat,
„ id ſuper mortuis gradientes vivi exequebantur.
„ Jam & captus aliquis vivus pretii, quo redimere-
„ tur, mentionem facere erga eum, qui ceperat;
„ at hic pretium nullum curare, ſed foſſam com-
„ plere. Ac fortiter quidem utrimque res gereba-
„ tur usque ad meridiem. Ex eo vero tempore pœ-
„ nas perſolvere injuriæ auctores, quos cum equi-
„ tes circuire cœpiſſent, veriti illi, ne includeren-
„ tur, in fugam ſe dedere. Tum inſtare cum cla-
„ more victores, quem emittebant cum gaudio,
„ illos a ſe in fugam verſos fuiſſe, tum terroris
„ etiam majoris incutiendi cauſa. Inſequentes qui-
„ dem magis capere vivos, quam obtruncare hoſtes
„ ſtuduerunt, cœperuntque permultos, alios ſau-
„ cios, quosdam etiam integros. Hoſtes quidem,
„ qui fuga elapſi eſſent, in urbem ſe recepere, &
„ induciis pactis ſuos mortuos ſuſtulere. Illi vero
„ cum captivis, & præda diſceſſere ovantes. Fie-
„ bantque apud victores, quæ conſuevere, ubi vi-
„ ctoria obtenta eſt, ſacrificia, occurſationes, co-
„ ronabanturque ii, qui in prælio fortes viri fue-
„ rant. At victi oratoribus ſuccenſebant, ſimulque
„ oratores accuſabant duces, placebatque aliis eo-
„ rum, qui aderant, componere diſcordiam rectum
„ eſſe, alii cenſebant, ſecundum etiam prælium
„ eſſe inſtruendum. „ Ita Libanius. Sed quid
Chryſoſtomus?

„ Ponito ante oculos, ait *Libr. 6. de Sacerdot.*
„ exercitum ex militibus, tum peditibus, tum

„ equitibus, tum nauticis viris conſtantem: ac mare quidem ipſum obtegat triremium numerus, rurſum ipſas camporum planities, ipſos montium vertices hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant. Æs item armorum oppoſitum ſoli ſplendorem reddat, atque a ſolaribus radiis & galearum, & clypeorum coruſcatio vibretur. Haſtarum fragor, equorumque hinnitus ad cœlum feratur, neque mare, neque terra appareat, ubique æs, ubique ferrum. Sint item adverſus hos inſtructi, armatique efferi quidam, ac truces viri: inſtet jam & conflictus tempus: poſtea rapiat quis derepente adoleſcentem aliquem in agro educatum, ac qui nullius prorſus artis alterius gnarus ſit, quam lyræ paſtoritiæ, ac pedi, eundemque armatura ærea cum induerit, per totum illum exercitum circumiens deducat, oſtendatque manipulos, manipulorum ductores, ſagittarios, funditores, centuriones, duces, cataphractos, equites, jaculatores; triremes, triremium ductores, milites inibi confertos, navalium machinarum copiam: oſtendat inſuper hoſtium procinctam aciem univerſam, & averſandos, formidoloſosque quosdam in illis aſpectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diverſum, & immenſam multitudinem, & convalles, & alta præcipitia, & montium iniquitates: oſtendat autem & adverſarios in equis volantibus incantatione quadam inſidere, & cataphractos per aërem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi, ac forma: recenſeat autem & belli calamitates, miſſilium nubem, jaculorum nivis inſtar ingruentium impetum, multam illam caliginem, & tenebras, obſcuriſſimam noctem, quam ſagittarum multitudo efficiat, ſolis ipſius radios denſitate ſua avertens, pulverem tenebris non minorem omnium oculos occæcantem, ſanguinis torren-

„tes,

„ tes, cadentium gemitus, ſtantium clamores, ja-
„ centium acervos, rotas ſanguine tinctas, equos
„ præ cadaverum multitudine unacum ſuis ſeſſo-
„ ribus in caput præcipites, terram univerſam
„ mixtim hæc omnia continentem, ſanguineum,
„ arcus, ſagittas, equorum ungulas, hominum
„ capita ſimul jacentia, & brachia, & collum, &
„ tibiam, & pectus transfixum, cerebrum enſibus
„ trajectum, jaculi cuſpidem effractam, cui ho-
„ minis oculus tanquam infibulatus hæreat: recen-
„ ſeat item & claſſis mala, atque incommoda,
„ triremes alias in mediis aquis conflagrantes, alias
„ cum cataphractis ipſis peſſum euntes, fluctuum-
„ que fragorem, nautarum tumultuationem, mi-
„ litum clamorem, ſpumam tum undarum, tum
„ ſanguinis mixtam, eandemque in naves ſimul
„ omnes irrumpentem, cadavera alia ſuper ipſa
„ navium tranſtra jacere, alia ſubmergi, alia ad-
„ natare, alia ad littora æſtuantis maris impetu
„ ejici, alia intra ipſos fluctus ſic obrui, ut navi-
„ bus iter veluti obſepiant. Poſtremo cum exacte
„ belli tragœdias omnes edocuerit, addat item
„ & captivitatis calamitates & ſervitutem nullâ
„ non morte duriorem. Ac ſecundum hæc omnia
„ jubeat illum continuo in equum aſcendere, uni-
„ verſique illius exercitus ducem agere: num tu
„ hic adoleſcentulum illud cenſes vel nudæ harum
„ rerum narrationi ſuſtinendæ parem eſſe poſſe,
„ ac non potius vel a primo ſtatim aſpectu animo
„ defecturum? „

Hæc, niſi me Chryſoſtomi amor penitus faſcinavit, alia longe facies, alia verba, eæque imagines ſunt, quæ ad naturam, ad vivum accedant: jurares non a juvene Clerico, ſed emerito duce, qui quantum gladio, tantum ſtylo poſſet, & his omnibus coram adfuerit, deſcriptionem eam venire. Tanto poſt

poſt ſe intervallo & hic diſcipulus Magiſtrum reliquit.

Diſſertatio Moralis 2. apud Libanium, ubi de amicis agit, quantum ego quidem opinor, digna eſt, quæ legatur: ſed quid ad illa, quæ idem Chryſoſtomus Homil. 2. in 2. ad Theſſal. de eadem re profudit magis, quam diſſeruit?

Verum & in Epiſtolis, in quibus excellere Libanius viſus eſt, & quarum ſcribendarum præcepta reliquit, friget non raro, & putet. Certe nervorum, & facilitatis, & gravitatis, ſive quam Chryſoſtomus, ſive quam priores duo habent, nulla prorſus comparatio eſt.

At dicat aliquis: ita quidem latine ſonat Libanius, ubi non tam ipſe, quam interpres loquitur. Sed facilis reſponſio, rectaque retorſio eſt: ita latine ſonat Baſilius, ita Nazianzenus, ita Chryſoſtomus; nam & ipſi per Interpretem loquuntur, & eos quidem, qui priori illi de utriusvis linguæ cognitione litem nunquam moverunt, ſed neque potuerunt movere, ut maxime voluiſſent.

Sed neque iſtuc id loci prætereundum, quod apud Chryſoſtomum, qui utique græcum non latinum Libanium legit, *Libr. contr. Gentiles* reperimus. Ibi næniam ejus de incendio templi Daphnitici egregie perſtringit, ut in qua ille in tam humiles, intempeſtivos, & aniles affectus prorupit, ut aberrare animo videri poſſit. Sed hæc ſatis eſt apud ipſummet Chryſoſtomum vidiſſe.

An vero alius ſupereſt, qui committi adhuc cum Chryſoſtomo poſſit de genere externorum? Dio, inquis, Pruſæus ille, qui & ipſe propter auream ſuadam *Chryſoſtomi* cognomentum tulit. Sobrius tu iſta, & vigilans? Certe nemini id hactenus in mentem video veniſſe. Etſi enim Atticus Dio eſt

cum

cum primis *, etſi candore quodam, & contorta ſimplicitate omnibus placet, etſi excellens apud eum temperatio affectuum, vibrata acriter enthymemata, copia exemplorum, compoſitio, quæ maxime deceat Philoſophum: plus dico, etſi facilis eſt, jucundus, planeque docet, ac etiam in communibus non vulgariter verſatur, quid tamen ad Chryſoſtomum chriſtianum ſit? Superi! culicem elephanto comparaſti. Dimiſſis enim rebus, quæ diſtant immenſum, vel orationem ipſam contuere: tam longis ſæpe periodis diffunditur Dio, ut moram afferat legenti: formulam vero illam *per Jovem* toties repetit, ut non emphaſin amittat ſolum, ſed frigida quoque evadat: exordia longiſſime producit, &, ut Photius l. c., *majus quaſi caput, quam reliquum ſit orationis corpus, effingit.* Atque ut ad ſummam rei veniamus, ubi vehementia illa, ubi copia, & amplificatio admiranda, ubi ſublimitas ſimul, & popularitas conjuncta, qualia in Joanne fuerunt? confer, ſi ita libet, locos eorum, quod non ſemel *Raynaudus Tomo Morali*, & *Tomo de Virtutibus* fecit; lege Dionem, quando virtutes effert, vel vitia inſectatur: quando Principes, & Magiſtratus format: quando vituperat tyrannidem, humanitatem vero, & clementiam deprædicat: quando demum (nam in eo laudem præcipuam habet) fortunam, fluxaſque ſpes, quæ in opibus, clientelis, potentiaque omni humana reponuntur, ridet, ac deprimit: paupertatem & frugalitatem commendat, hortatur ad concordiam, ſophiſtas, & vitilitigatores inſectatur: hic, inquam, cum Joanne illum componas licet, ut qui frequentiſſimus & ipſe eſt in omnibus his argumentis. Nominatim

* Vide Syneſium in *Dione.* Photium *Codice* 209. Suidæ *Lexicon. Prolegomena editionis Morellianæ Pariſ.* 1604. cui addita *Diatriba* Caſauboni. Cauſſinum *Libr. III. de eloquent. ſacr. & hum. cap.* 13.

tim compara, quæ dicit ad Populares, ad Nicomedienſes, Nicæenſes, Alexandrinos, Rhodios, Apamenſes: & expende tecum artem tractandi animos, qua Chryſoſtomus erga Antiochenos, & Byzantinos ſuos eſt uſus. Reſpondeant Laudatoriæ in Melanconam, in Græciæ Sophos & Heroas S. Doctoris Panegyricis. Oratio XVI. de triſtitiæ remediis, iis quæ alter Libris de *Providentia*, *& de compunctione cordis* habet: Oratio XVII. de avaritia, innumeris Chryſoſtomi in eandem concitationibus: Orationes LXVI. LXVII. LXVIII. de gloria, illius *Homiliæ* 2. *in ad Titum in morali*, *Homiliæ* 28. *in Joannem*, *Hom.* 24. 41. *&* 50. *in Matthæum*, *Hom.* 24. *in* 2. *ad Cor.* Iterum Oratio LXXVII, & LXXVIII. Dionis de Invidia, Homiliis Chryſoſtomi 46ª *in Geneſin.* 7ª *in ad Roman.* 31ᵐᵃ *in* 1. *ad Cor.* &c. Oratio LXXIX. de divitiis, *Homiliæ* 2. *ad populum*, *&* 10. *in ad Philippenſes*, aliiſque quam plurimis. LXXX. de Libertate vera a vitiis, *Homiliæ* 18. *in* 1. *ad Timoth.* Sententia Chryſoſtomi *Hom.* 5. *de verbis Iſaiæ: Qui peccatum committit, ſervus eſt peccati, etiamſi innumeras coronas habeat in capite: rurſus, ſi quis facit juſtitiam ipſo rege regalior eſt, etiamſi fuerit omnium infimus*, hæc, inquam, ſola ſententia plus valet, plus habet nervi, quam totum Dionis. Sed & Oratio XXXI. quam ad Alexandrinos magna laude Dio dixit, legenda eſt, & videndum curioſe, an & ipſe ſic invehatur in ſpectacula, uti in ea, quoties occaſio ſe dabat, Chryſoſtomus invectus eſt.

Hæc vel alia ſimilia cum lector contulit, & juxta poſita contuitus eſt, tum enimvero pronuntiet, an præponere Dionem chryſoſtomum Joanni Chryſoſtomo poſſit, aut parem exiſtimare. Satis ſcio, ludificatum ſe queretur, pigebit inſtitutæ comparationis, imo hoc ipſum ad ſanctiſſimi Præ-

ſulis

ſulis injuriam dicet pertinere, quod Joanni non præponere Dionem, ſed vel opponere ſuſtineamus.

Verum & alios, ut lubet, objiciant nobis: græci illi, latinive ſint, nihil moror; nunquam enim deerunt, quos ſi non iisdem, at diverſis certe dotibus pares iis magis, quam ſimiles oſtendamus. Latinorum enim omnium nemo propius ad Ciceronem, quam Lactantius noſter acceſſit, & apud Græcos (Afri Domitii verbis utor *) Chryſoſtomus a Demoſthene ita ſecundus eſt, ut propior primo ſit, quam tertio, cuicunque demum. Sic ego reſpondere iis ſoleo, qui utrosque ipſi non legerunt; nam qui legerunt, ne objicient quidem: præſertim quod ſciant, unum ſæpe iſtorum plura ſcripſiſſe, quam denos ex illis ſimul acceptos. Certe Chryſoſtomi Opera mole & numero omnium græcorum Poëtarum, Oratorum, Comicorum, Hiſtoricorum libros ſuperant, etſi per temporum injurias vix media ſui parte ad nos pervenerunt. **

Clauſula Libri I.
et
dictorum compendium.

77. Sed concludamus denique has quæſtiones, ſi non pro dignitate rei, pro viribus certe meis examinatas. Noſſe ex iis aliquantum poſſumus cum Patres ipſos, tum formam Eloquentiæ eorum. Iſti enim, ni fallor nativi ſunt colores, hæc lineamenta, quæ non aliunde, quam ex ſpiritu Evangelii, ex Patrum de ſe confeſſionibus, ex ipſis denique rebus petuntur. Patet inde, eloquentes eos, ſi quos

* *Apud Quintilian. Libr.* 10. *cap.* 1.

** Revocentur in memoriam, quæ ſupra Diſſertatione tertia ex Bouhourſio, & Bruyerio Cap. 2. recitabamus. Sed & alia deinceps *Libro II.* & *III.* ſe offerent, ubi de Patrum diſertiſſimis ſpeciatim agetur.

quos alios, eſſe; etſi non eandem ubique rationem tenent, nec iiſdem legibus utuntur, quas ſequendas ſibi oratores ſæculi putaverunt. Cum enim hi ingenio, & arti indulgent omnia: Patres plus populo dantes, ad ejus captum, indolem, & profectum identidem reſpiciunt. Non amant ſermonem anxie conceptum, vernantem perpetuo, ac hilareſcentem: non eſt adſtricta ſemper numeris oratio, ut concentum habeat, ac velut modulata decurrat: non denique Rhetorum officinas omnes, & arculas in Theologiam effundunt; ſed decorum ſervare, & verba rebus accomodare contenti, maluerunt ad divinos propius, quam humanos Scriptores accedere, & quo minus venuſtatis, ac pigmentorum, eo plus gravitatis, ſapientiæ, & religionis in orationem conferre. Mihi certe, quod ſæpe amicis dicere memini, inter Patrum, & profanorum ſcriptiones idem plane, quod inter milites antiqui moris, & prætorianos noſtros videtur intereſſe. Ibi bellum, & animos, & robur non in armis ſolum, ſed vultu ipſo, totoque homine legas. Cataphracti ſunt undique, atque ita rigentes, & inculti non ſine horrore cum ſui, tum armorum in aciem procedunt. Iſti contra ad pompam, & oſtentationem delecti auro, ac ſerico ſplendent, cincinnis vero, & ceteris munditiis mulierculas trahunt, ſponſi, non bellatores, atque ad amores potius, & choreas, quam metum, ac cædas comparati. Quo ſane fit, ut priorum aliquis plures ſæpe ſtraverit uno prælio, quam poſteriorum quiſpiam iteratis etiam expeditionibus conficiat. Quod ſi propiore, & a ſacris petita ſimilitudine ſit opus, age, ad templa, tam ea, in quibus Patres dixere, quam illa, in quibus hodie nos dicimus, oculos convertamus. Gothicæ illæ, & cathedrales Baſilicæ tenebroſæ ſunt, non nego, inornatæ ut plurimum, nec raro contra tectonicæ leges in altum exur-

exurgunt: verum mole ipſa, & vetuſtate venerabiles, plenæque ſacri horroris præcipua urbium ornamenta ſunt, & materia, ac ſoliditate operis multa jam ſæcula vicerunt. In noſtris vero templis nitent, placent, alliciunt omnia, luminis admittitur plurimum, ornatus & muſica, & ſuppellex, & cetera omnia ſunt ad delicias usque. Verum non hæc ideo præferenda illis cenſuerim ego, neque ſatis ſcio, an non quantum elegantiæ & fulgori accedit, tantum firmitati & majeſtati decedat. Ita ſane, non aliter, conſiderare Patres, & cum externis comparare debemus. Sit enim, hos artis præcepta obſervaſſe melius; at iſti Evangelio magis inhærent: plus illi ſplendoris, & elegantiæ habeant; at hi plus efficaciæ, & unctionis habent: plus illi delectent; plus iſti proſunt: aures illi concutiant; hi corda movent: atque ut ſemel dicam, paucula quædam vitia plurimis, maximisque virtutibus compenſant. Itaque idipſum de Patribus uſurpes, quod apud Plinium L. 5. Epiſt. 20. Julius Candidus non inſcite dixit, *aliud eſſe Eloquentiam, aliud Loquentiam.*

Quæ quod generatim quidem, ſed via tamen & ratione expenſa, atque diſcuſſa hoc libro ſunt, eſt ſane, cur magno animo ad Patrum lectionem accedamus, neque aliunde jam ſive argumenta, ſive exempla dicendi mutuemur. Felices nos, quamprimum id a languore, & deſidia noſtra potuimus impetrare! ita enim agentibus nobis eximentur brevi præjudicatæ opiniones: neque dubium eſt, quin nec cogitantes, gravitatem illam, illos ſublimes ſenſus, illum candorem, quæ propria Patrum fuerunt, paulatim combibituri ſimus. Sed & Deus, quod eſt in hoc foro præcipuum, ſpiritum nobis ipſorum, charitatem, & odorem intimum ſanctitatis aſpirabit. Quam jucundum, quam glorioſum, ac ſalutare antiqua ſæcula, eandemque ra-

tionem docendi, quam majores tenuerunt, in templa noſtra revocaſſe, neque aliter nunc hodiernos fideles inſtituere, atque olim primi chriſtiani inſtituti ſunt! Non poſſum mihi inde niſi ſumma omnia polliceri; tantum id valebit ad petulantia ingenia coërcenda, & ſuum contemptæ Eccleſiæ honorem, ſuam fluctuanti Religioni fidem, ſuam denique corruptiſſimis moribus integritatem reſtituendam. Sed hæc diximus alias; & nunc denique abrumpenda iſta Tractatio eſt, ne fatigetur Lector, ſed paret animum ad ulteriora; ut populariter a divo Auguſtino dictum eſt: * *Ita libri termino reficitur Lectoris intentio, ſicut labor viatoris hoſpitio.* De Scriptore autem multo magis id ſtatuendum, qui opus habet ſummopere, uti colligat ſe, & reſpiret tantiſper. Nam & ſcriptio plerumque opinione longius excurrere ſolet: & quam hodie imperfectam ille reliquerit, minore moleſtia cras abſolvet. Ita de ſe S. Rupertus Tuitienſis affirmat, qui *Libro VI. de glorificatione Trinitatis* diutius immoratus, feſſi viatoris iſtar reſidere ſe ait **, & laborem intermittere debere. Ut enim ille, cum videt, eo, quo ſtatuerat, pervenire ſe jam non poſſe, accumbit in medio itineris, & quod viæ reliquum eſt, futuro diei reſervat: ſic & Scriptor fatigatus antea, quam propoſuerat, abrumpit ſcriptionem, ut capta quiete eandem & reſumat alacrius, & facilius etiam proſequatur.

Finis Libri I. de Eloquentia Patrum.

O. A. M. D. G.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

* *Libr. 1. contra adverſarios legis*, ipſo fine.
** *Capit. ultim.*

INDEX

INDEX
LIBRI I.

Qui non *paginas*, ſed *numeros* a latere poſitos deſignat.

Ætas

In Patre requiſita. *Num.* 6.

S. Ambroſius

cum Symmacho comparatus. 75.

S. Antonius Patavinus.

Quam magna dicendo effecerit. 61.

Apoſtoli

Soli ſtricte Patres. 1.

Argumentum & Materia

Longe alia apud Patres, quam ceteros Oratores. 43.

Auctoritas Patrum

Quanta. 12.
Etiam ſingulorum. 15.
Præſertim in pulpito ſacro. 22.

Auditores.

Quam ſe iſtis accommodarint Patres. 50.
Non ſe affligat Orator eorum infrequentia. 53.

Catalogus Patrum.

Qualis hic exhibeatur? 8.

Cicero

ab exilio redux, cum Chryſoſtomo collatus. 60.

INDEX LIBRI I.

Conſenſus Patrum

Summam habet auctoritatem, & quæ fallere non poſſit. 12.

Digreſſiones Patrum

fini accommodæ. 51.

Dio Chryſoſtomus.

Comparatio ejus cum Joanne Chryſoſtomo. 76.

Doctor Eccleſiæ,

et Pater Eccleſiæ diverſa ſunt. 3.

Eccleſia.

Studia ejus erga Patres. 16.

Eloquentia.

Non eadem regula eloquentiam Patrum, & profanorum metiri debemus. 26.
Et fuſius. *à num.* 36.
In plurimis tamen omnino conveniunt. 63.
Non omnes Patres ſunt eloquentes. 26.
Imo & eloquentiſſimi nævis haud carent. 27.
Latinis cur minus vitio vertendum, quod dicendo non valent? 29.
Etiam maxime barbari aliqua præclara habent. 31.
Patres male omnibus præponuntur eloquentiæ cauſa. 72.
Neque tamen eorum ſcriptis id præjudicat. 74.
Cum non niſi a ſummis quibusdam ſint ſuperati. 75.
Effectus eloquentiæ Patrum comparati cum effectibus eloquentiæ aliorum. 58.

S. Ephræm.

Vis ejus in animis permovendis. 22.

Exemplum.

Ejus cura apud Patres. 57.

Fervor,

Quo Patres dicebant. 44.

Finis

Finis.

Quam longe alius apud Patres, quam apud profanos. 46.
Finis Patrum nunquam totus fruſtratur, utcunque res cadant. 52.

Fortitudo,

Quam Patres exprompſerunt. 41. & 42.

Gloria.

Quantum abeſſent Patres a cupiditate gloriæ? 48.

S. Gregorius M.

Laus ejus ſumma, quidquid ſit de ſtyli ſimplicitate. 30.

Heterodoxi

non æque affecti erga Patres. 17. & 18.

Interpretes Patrum.

Multum ex verſione græcis Patribus decedit. 33.
Ex græcis latina facere, quam difficile? 34.
Communiores Interpretum defectus. 35.

Joci.

Quam ſibi ab illis Patres temperarint? 40.

Libanius

cum diſcipulis ſuis Baſilio, Nazianzeno & Chryſoſtomo collatus. 76.

Libertas Patrum.

Vide *Fortitudo.*

Locus.

Diſcrimen ex loco, ubi Patres, & ubi profani dicebant. 37.

Lucrum.

Quam alieni Patres a ſtudio lucri? 47.

Oratio.

Studium ejus apud Patres. 56.

Ornatus Orationis.

An ejus cura aliqua apud Patres, & ubi? 65.

Patres

Simul ſunt filii, ſimul patres Eccleſiæ. 1.
Ut quis Pater appelletur, auctoritate Eccleſiæ, quomodocunque interpoſita, opus. 2.
Quæ alia in Patre requirantur? 3.
Tertullianum, Origenem, Euſebium, hisque ſimiles alios Eccleſia nunquam Patres agnovit. 4.
Commode tamen a nobis ita appellari poſſunt. *ibid.*
Quid nominatim de Theophilo Alexandrino hac in parte? *ibid.*
Patrum Diribitores. 11.
Perſona dicentis, quam Patres ſuſtinuerunt. 39.
Præparatio eorum ad dicendum. 55.

S. Radegundis.

Deſcriptio funeris ejus pulcherrima. 31.

Vitia

Quædam, maxime occulta, nil oberant profanis Oratoribus, quo minus viri boni haberentur. 57.

Zelus

Chryſoſtomi, & aliorum memorabilis. 53.

Errata in Libro I.

Pagina:	Linea:		
		In *Præfatione :*	
VIII	13	nos alios	*Lege :* non alios
XII		*In Notis* * ** *inverte ordinem* primæ & ſecundæ *Notæ.*	
		In *Conſpectu Operis :*	
XXIX		*Inter Specimina Figurarum deme :* XVIII. Sermocinationis, ſeu Dialogiſmi.	
XXXVI	ult.	In Feſtum *S. Bartholomæi* Apoſtoli. *Deme, & totum dele*	
XXXVII		*Poſt* Feſtum *S. Annæ* Matris B.V. *ſubjunge: S. Bartholomæi, & SS. Simonis & Judæ* Apoſtolorum.	
		In *Textu :*	
4	15	S. Iſidorus Hiſpalenſis ;	*Adde :* S. Anſelmus ;
5	14	ea ipſa	*Lege :* ex ipſa
11	29	Chiliaſtæ	*Adde :* & Rebaptizantes
21	28	Fauſtnus Diaconus ,	*Lege :* Fauſtinus Diaconus ,
22	13	Bacchianus ,	Bacchiarius ,
23	9	S.Sidonius Apollinarius,	S. Sidonius Apollinaris ,
26	1	Lupus Sfrvatus,	Lupus Servatus ,
27	7	Lantfrancus .	Lanfrancus ,
	8	Samuel Charocchianus,	Samuel Marocchianus ,
31	11	S.Epiphanius, Salamienſis ,	S. Epiphanius, Salaminenſis,
32	5	Agopetus ,	Agapetus ,
	8	S. Drotheus ,	S. Dorotheus,
37	6	Lucas d'Acherus ,	Lucas d'Acherius ,
	21	Duromd .	Durand,
	26	in *Diacono Italice* ,	in *Diario Italico* ,
38	6	d'Aguine.	d Aguirre.
39	1	Combefis ,	Combefis,
42	32	Si rurſum	Sic rurſum
48	6	atque erat pius ,	utque erat pius ,
56	17. 18	plusquam ſatis etiam,	plus quam ſatis eſt ,
	26	Dumonlinus,	Dumoulinus ,
58	ult.in	Nota * *Hagiologis,*	*Hagiologio* ,
64	8	liquida ,	liquidæ ,
66	26	Kembler	Kembter
82	7	Bourdaloüerum ,	Bourdalouæum ,
83	12	Sarbout ,	Sasbout ,
85	31	& colore ſita ſit :	& cute ſit ſita :
93	31	Lactantio *Libr.* 3.	*Adde : cap.* 1.
103	2.in	Nota *** *Inter gentiles fuit*	*Lege :* Inter gentiles fuit
138	8	*Serm. Non eſſe ad gratiam concienandum.*	*Dele totum.*
156	3.in	Nota * de Neſtorio,	*Adde :* Item de eodem, atque etiam de Photino Vincentius Lirinenſ. *Common. I. cap.* 16.
164	ult.in	Nota * nunc 352.	*Lege :* nunc *Serm.* 352.
166	2. 3	non parcius ,	*Adde :* remunerat ,
186	8	jactavit,	*Lege :* jactarit ,
192	22 in	Titulo *producunt.*	*produxerunt.*
204	2. in	Nota * verſiorum	verſionem
252	35	*in Hiſtoriam Eccleſ.*	*Infere :* LudovicumCreſolliumLibr. *III. Theatr. rhetor. cap.* 28.
253	1	Eraſmus *debebat poni ſupra ante* Majoragium.	
262	25. 26	*Quis autem ibi phaleris , quis ornatui, & eloquentiæ locus ?*	*Lege :* Quis autem ibi phaleris , quis ornatui, & eloquentiæ locus ?

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4-1